MASTER NEGATIVE
NO. 93-81606-13

AUTHOR:
SCHAEFER, THEODOR

TITLE:
DE HORATII CARMINE III 27 ADDITO COROLLARIO

PLACE:
BONNAE

DATE:
1868

Master Negative #

93-81606-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schaefer, Theodor, 1845-
De Horatii Carmine III,27 addito corollario; dissertatio philologica qvam... scripsit... Theodorvs Schaefer... Bonnae, 1868.
63 p. 22 cm.

Thesis, Bonn, 1868.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 10x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 7.22.93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

HORATII CARMINE III 27

ADDITO COROLLARIO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIX MENSIS FEBRVARII A. CIƆIƆCCCLXVIII

PVBLICE DEFENDET

THEODORVS SCHAEFER

BREMANVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

ERNESTVS DROYSEN PHIL. DR.
GVALTERVS BORMANN PHIL. STVD.
IVLIVS STEVP PHIL. STVD.

BONNAE A. MDCCCLXVIII

LIPSIAE FORMIS EXPRESSIT B. G. TEVBNERI

ARNOLDO · SCHAEFER

AVVNCVLO · CARISSIMO

PIO · GRATOQVE · ANIMO

ΑΝΕΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΠΕΧΟΥ.

De Horatii carminibus qui hoc tempore scribere conatur, incepti excusatione non egere mihi videtur; quid judicet de versibus posteriore aetate interpositis, quod carminum quasi ulcus tangere vix defugiat, utrum versuum ab aliis hominibus doctis ejectorum numerum augere an repellere velit criminationes ab illis allatas, cur ipse quidem ad hanc quaestionem, quam difficillimam et quam maxime lubricam esse omnes consentiant, accesserit quidque novi afferens confidat ceteros superare se posse, exponat necesse est, quae omnia, qua via ego quidem ad hoc potissimum carmen delatus sim si expono, quam brevissime a me absolvi posse puto.

Cum Horatium accuratius tractare inciperem, disceptatione illa de interpolationibus, quae inde a Peerlkampi temporibus tam late serpsit, ita animo commotus sum, ut quod tum mihi videbatur leve onus susciperem et Peerlkampi librum, annales diurnaque philologica, disputatiunculas dissertationesque quotquot acquirere potui assidue pervolverem, quibus perlectis graviore pondere onus esse quam ut ferre possem intellexi. Infregit animum reprehendentium acerba severitas nimiaque antiquitus tradita servandi diligentia, qui partim obscurius iniqui partim non dissimulanter irati contra Peerlkampium ut omnium malorum fontem atque auctorem quod cuique fors offerebat telum arripuerunt; infregit et temere assentientium levitas qui, ubi gravissimis argumentis opus erat, suum judicium tamquam unicam regulam et legem secuti vel in paucis paginis ut Franke 373, Lehrs 392, Prien 328, Schwenck 502, vel magna cum verbositate ut Gruppe 1256, alii paucioribus versibus in suspicionem vocatis, omnium Horatii versuum (ni fallor 3115 numero) quantum scio 1076 intactos

reliquerunt. Demisso mihi quasi quiddam animulae instillavit gravissimorum doctissimorumque hominum judicium, ut G. Hermanni, Lachmanni, Ritscheli, Linkeri, Meineki, Haupti, aliorum et quod illorum qui Peerlkampium acerbissime impugnaverant, Martinum, virum in primis doctum et cautum, qui paucis illis quae quisque legit programmatis 609 versus Horatio abjudicavit, vix qui vituperaret, nemo qui refutaret extitit.

Multis jam collectis cum ad Horatium totum pertractandum accederem, casu quodam in hanc nostram odam primo incidi quae me quasi vinculis laqueisque vinctum adhuc detinuit; tantis eam difficultatibus refertam tam diversas editorum opiniones tam contortas versuum conjunctiones tam obscuratam obcaecatamque in ea Horatii vidi sententiam ac consilium, ut si tantis tenebris lucem afferrem de eo me optime meriturum esse arbitrarer. Num luciferi personam hic illic non sine fructu sustinuerim existimantium arbitrio committo.

Quamquam ut par est omnes editiones Horati, annales, dissertationes perscrutatus sum, omnes interpretum opiniones afferre et refutare pertaesum est, ita ut saepius illis relictis ipsam rem aggrederer, saepe sententias tantum maioris momenti indicarem, cum post Janium, cuius vestigia omnes fere interpretes premunt, vix quisquam in hoc quidem carmine novi aliquid attulerit, nisi quod unus Ritterus multa primus attigit, quae suo quidque loco recensebo. Peerlkampium ubique aut oppugnabo aut summa vi defendam.

Ut intellegas quam diverse de toto carmine judicetur, liceat afferre Home[1]), qui prorsus sententias inter se conexas esse atque aptas negat, Lehrs[2]), qui dicit: *solche abquälereien bei Bentley, der den gedanken der verunstaltungen durch interpolationen im Horaz noch nicht gefasst hatte, mögen uns doch ein wink sein. Das interessanteste beispiel ist mir die parra* III 27, *eingeleitet mit den merkwürdigen worten, welche den gigantischen mann in verlegenheiten zeigen: videamus si quid nos tot aliis frustra expertis meliore cum successu conemur. Wie hätte es denn selbst ihm gelingen können bei einem gedichte, das einfach blödsinnig ist.*

Schwenck[3]): *Diese ode ist so absurd, dass kein vernünftiger dichter sie schreiben konnte; aber der reichthum an unsinn verhindert eine kurze darstellung.*

Quin ipse Riese[4]) confitetur: *dürfte man ganze gedichte für unecht erklären, so müsste dieses loos anerkanntermassen zunächst c. III* 27 *treffen,* contra quos Luc. Müller[5]) Europae orationem pulcherrimam (*prächtig*) ac vitiis omnibus immunem appellat, quamquam et ipse eam cum reliquo carmine cohaerere negat[6]).

Ut in singulis huius carminis versibus ita in eo quaenam eius sit sententia primaria et principalis, quae, cum singula quaeque quasi communi quodam vinculo conexa et apta contineat, si desideratur singuli versus soluti diffluant necesse est, homines docti quam diversissimas interpretandi vias secuti valde inter se dissentiunt: alii et plerique quidem Horatium Galateam per mare Adriaticum navigaturam dehortari Europaeque exemplo deterrere et retinere velle, ut paucos nominem, Acron, Cruquius, Hardouin, Janius, Dacier, Bentley, Sanadon, Rodeille, Mitscherlich, Vanderbourg, Peerlkamp, Düntzer, Döring, Lübker, Orelli, Nauck, Dillenburger, Franke al.: alii et hi quidem pauci Horatium Galateam exhortari et Europae exemplo felicem navigationis eventum divinare atque exoptare, ut Galiani, Zeune, Nitzsch, Kiesel, Ritter: aut paucis verbis aut fusius mirisque inventis et ratiunculis demonstrare student[7]).

Multo magis torquentur in interpretanda Europae fabula, ubi cum non aut hac aut illa via incedendum sit in densissimas tenebras incurrunt, ut eos quam Horatium intellegere difficilius sit, ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati, alii exprimi per eam officii praeceptum quoddam, ut Rodeille, Sanadon, Düntzer, Dauber, Franke[8]), alii singulorum narrationis verborum quod taurus, Creta, Juppiter invictus, alia commemorentur significatione appellari putant certos homines certasque res, ut Sanadon, Nitzsch, Hardouin, Schulze, Ritter[9]), quod qui faciunt ignorare se poetarum lyricorum artem ac morem confitentur.

Sententia prior, Galateam ab Horatio retineri ab itinere, quae tot homines doctissimos adhuc tenet, non difficilem ni fallor habet rationem refutandi, quod negotium cum nemo subierit mihi necessario subeundum est.

Horatius impiis infaustissima omina imprecans ut quisque videt piae Galateae, quam unice impiis opponere potest, ut bonae laetaeque aves iter comitentur exoptat additis ne dubitaremus

verbis: *sis licet felix, ubicumque mavis et memor nostri, Galatea, vivas.* At opponunt adversarii: quid tempestatum commemoratio, quid enumeratio proni Orionis, atri Hadriatici maris, Japygis venti flatus? nonne puellam deterrebunt? Verum sit sane ut volunt hoc ita; quidnam nos quidem de poeta diceremus, qui postquam gravissimis verbis augurisque eruditi personam gerens quasi e tripode iter felicissimum habiturum esse eventum vaticinatus est, subito in contrariam partem conversus eidem puellae, ut levissimo vocabulo utar, metuit? Nos quidem, certo scio, talem ineptum vocaremus, verum enim vero Horatium laudant.

Lepide igitur et sagaciter Vanderbourg, sed falsissime: *Tu vois que tu peux sans danger voyager par terre, apprends maintenant tout ce que tu risques, si tu as l'audace de t'embarquer.*

Olim aliquando Perraltus miratus est (Parall. III p. 183), Horatium non vidisse, quam parum valeat ad retinendam Galateam cum audiat Europam factam esse conjugem summi Jovis, et Zeune[10]) ac Galiani[11]) eadem fere senserunt, sed hos nemo ut apparet audivit[12]). Quomodo tandem puella huius fabulae felicissimo eventu deterreri posse credi potest? At dicunt versus inde a v. 33 vel v. 69 non ad Galateam pertinere, sed poetam poetico furore correptum non potuisse narrationem non ad finem perducere. Cur tandem incepit fabulam poeta, quae desinit ut in piscem mulier formosa superne, ut fine corrumperet quae bene incepisset? Sed hoc quoque concedo; abeat pars carminis extrema sive ut Peerlkamp ac Gruppe tunc quidem suo jure fecerunt eam ut pannum ab homine inepto adsutum ejiciamus sive extra sententiae primariae carceres jacentem cogitatione saltem omittamus, quaenam quaero cum Galatea Europae restat similitudo? Scilicet alteram postquam innocenter cum tauro pulchro ludens et ut puellae solent esse audacula eius tergum conscendit, invitam et clamantem per mare tranquillum astris fulgentibus sub bovis forma aufert Juppiter. Altera secundum voluntatis suae judicium per mare navigatura est. Si exceperis per mare vehendi similitudinem ne una quidem re comparari eas video. Quomodo haec ad Galateam retinendam valeant non intellego, cum Galatea ut querellas et exclamationes ad se ipsam pertinere credat nullo verbo moneatur. Ut deterreretur

quae ex nimia audacia manare quae navigantibus occurrere solent, tempestates, maris horrores et formidines, naufragia, demersiones verbis effingi profuit, non placidum aequor, sidera ducentia, non mare beluarum plenum, quae Europam in tauro insidentem, non Galateam navi vectam terrere possunt.

Soli igitur rectum et verum invenerunt post Perraltum Zeunium Galianum Kiesel et Ritter et ille quidem in ingeniosissima dissertatione de carminis Horatii III 3 sententia principali (Düsseldorf 1845 p. 11), ubi disserit de orationibus cum reliquis carminum partibus artissime jungendis: *Nonne ut hoc uno exemplo utar Galateae summa pericula aditurae felicem eventum precatus extrema carminis parte eventurum quoque praesagit quod sit precatus?*

Ritter: *In aliam terram iter tibi facienti Galatea faustum omen prece suscitabo, sinistra signa quaecumque avertam. Si vero ad transmarinas provincias abire voles, ipsa vides et a me discere potes, quanto cum periculo hoc anni tempore navigetur. Verum ego deos rogo, ut haec mala hostibus accidant, te non attingant. Sic quod esse periculosum videtur, inde fortasse egregia commoda tibi parabuntur, ut olim evenit Europae tauri tergo in Cretam avectae.*

Relictis iis quae in his minus mihi placent, quid de singulis versibus sentiam postquam exposuero meam de toto hoc carmine sententiam distinctius aperiam, cum in universum satis dictum videatur, unde etiam pateat me a Peerlkampio prorsus dissentire, qui inde a v. 33 interposita esse omnia aliena manu credit.

Statim ad ea quae in altera et tertia stropha Peerlkampio aliisque suspecta visa sunt me converto, quibus meas suspiciones addam.

Interpretes triplici modo serpentem iter rumpentem explicantes: aut serpentem vibratam viam transilire aut impiorum eam iter paululum interrumpere aut iter eam abrumpere conari ac monere nec tamen impedire: omnes rationes sagaciter exquisitas enumeravere, quibus explicari versus nequeat. Poetae saepius ita loquuntur, Hannibalem rupisse Alpes, Lynceum terras oculorum suorum acie, milites aditus, praelium, homines per hostes, per freta, per aedes rupisse, semper ea significatione quam e verbo ipse facile colligis magna vi impetuque

vehementi per ea quae repugnant resistunt obstant vetant ne per ea transgrediamur viam sibi aperiendi[13]). Quae non prohibent facilemque aditum praebent numquam perrumpimus, sed per ea transimus, transcurrimus, pervolamus, transilimus. Adde quod poeta si hac significatione uti potuisset neque *iter* neque *inceptum*, sed viam in qua proficiscuntur commemorasset, et primam explicationem falsam esse patebit.

Ii quoque qui alteram sequuntur interpretandi viam contra latinum sermonem faciunt, quia qualem numquam habuit significationem rumpendi verbo tribuunt. Qui silentium somnum moram amorem cantum curas rumpunt, loqui incipiunt expergiscuntur amare canere curare desinunt, non quidem aliquantisper sed prorsus quae antea fecere non jam faciunt. Eodem modo ut si sol tenebras, si Titanes Jovis imperium, si fidem opus gratiam nuptias vitam rumpimus, omnibus his finem facimus[14]). Sic etiam si serpens impiorum iter rumpit abrupto itinere impii eo unde profecti sunt revertuntur, quae unica adeo simplex est explicandi ratio[15]), ut tot homines doctos alia via progressos miraturi essemus, nisi quae difficultas illos eo impulerit Bentley optime doceret: *Dixerat initio: impios ducant mala auspicia parra canis lupa volpes. Impios inquam ducant, non te o Galatea. Tum continuo infert noster: „Rumpat et serpens iter institutum", hoc est, rumpat impiorum iter. Atqui hoc prorsus contrarium est illi quod jam praecesserat. Bene enim erit impiis si rumpant iter infauste susceptum: si domum redeant ubi contra auspicia se exire intellexerint. Quin potius ducat ut supra dicendum hic fuerit, non rumpat.*

Hoc in rerum discrimine cum nec contraria per particulam *et* conjungere, quod qui de incommodo huic loco minime apto cogitarunt non animadverterunt, neque aliter verba explicare liceret, Gessner et Orelli ita interpretati sunt. Prior: *Omnino concessivo modo hic posuit: rumpat h. e. vel impediat actu quod jam molestum est, vel rumpere conetur, dissuadeat cum infortunio non parentis augurio.* Alter: *Rumpat, interrumpat, incidat impiis iter institutum, mala iis minitetur etiam serpens transversa ex parte celerrime allabens mannosque perterrefaciens, scilicet ita, ut huic omini scelerati non magis pareant quam prioribus aeque infaustis ideoque pereant; quae quidem sententia deducitur ex v. „ducat"; praeterea partic. „et" necessario nos reducit ad impios.* Vide ad quas artes homines docti refugiant, ut hunc versum defendant; ad rejiciendam hanc sententiam quam in verbis ipsis non inesse sed iis subjiciendam aperte confitetur Orelli, iis quae supra exposui nihil adjiciendum puto. Bentley ipse quidem emendare versum ex codice Graeviano studuit: *Rumpit et serpens iter institutum*, hac explicatione usus: *Quin et serpens rumpere solet iter institutum*, quam conjecturam in verba receperunt Cuningham, Sanadon, Meineke, Haupt, si eorum consilium perspicio, quia verba interposita esse apertum reddere quam male latine scribere maluerunt, cum facile intellegatur (quod jam alii animadverterunt) ovum ovo non similius esse quam verba ita scripta glossemati, quae, cum nihil nisi artis auguralis particulam quandam enarrent, ad Galateam et ad reliquum carmen pertinere sola docemur optandi forma, quae si desideratur verba omnino non cohaerent.

Serpentem autem impiorum iter rumpere solere, nescio an non sit verum: etsi serpentes saepius impiorum mannos terrere solere concedo, ut credam impios hoc portento monitos iter semper abrupisse quae sententia secundum Bentleium inest non facile adducor. si qui hos versus composuit scripsisset: *rumpunt et iter impii, si serpens mannos terret*, verba ipsa saltem recte continuata essent.

Cum nec *rumpat* nec *rumpit* nec Thierschii *radat* ab Horatio potuisse scribi persuasum habeam, etiam si nulla alia suspicio me moveret, subditicios hos versus crederem; at permulta alia interpolationem clamant. Ordinem versuum secutus ab levioribus incipiens ad graviora procedam. In vv. 6 et 7 movendi verbum desidero, cum mihi dissimile simile videatur, quod dicit serpentem per obliquum terrere mannos ut sagittam, cum sagitta nisi mittatur neque terrere neque cum serpente in obvios se jaculante comparari possit, ita ut poetam necessario dicere oporteret: *rumpat et serpens iter inceptum*[16]), *quae terruit mannos si per obliquum similis sagittae vibrata viam transilit;* si tot verbis uti noluit: *vibrata similis sagittae terrens mannos*, omissa particula *si*, quae a nullo adhuc explicata Bentleium ad conjecturam suam ut videtur permovit. Scio omnes interpretes hos versus pulcherrimos et quam maxime poe-

ticos laudare, tamen dubitationes meas non confiteri interpretum auctoritate non moveor.

Ut orationem in his primis versibus mire contortam, sic obscuriorem esse puto in iis quae sequuntur: *Ego cui timebo providus auspex.* Multi hic de interrogatione cogitarunt. Fateor me talem interrogationem prorsus non intellegere; cum Horatius inceperit *impios infausta omina ducant* quisque expectat eum additurum esse: *tibi, Galatea, ut piae non timeo* vel potius *te faustae aves comitentur.* Verba *ego cui timebo* insuper additis *providus auspex* nescio quid absurdi habent. Utrum Horatius semper est providus augur an non hac una occasione? num providus augur non habet cui timeat? Apparet verba cum iis quae sequuntur arte conjungenda esse: *Ego cui timebo providus auspex omen felix precibus meis eliciam.* Cur se ipsum tanta vi impiis opponit, cum certum sit non se ipsum pium sed Galateam piam esse eum profiteri velle? num omnibus, quibus in posterum aliquando timebit, corvos ab ortu solis suscitabit? quod quidem unicum in verbis inest, non inest quod interpretes invenerunt quodque sensus flagitat: *tibi cui timeo;* quod futurum tempus pro praesenti positum dicunt absurdum esse multis verbis probare non necesse est. Nemo certo scio legentium haec omnia ad Galateam referet, quam v. 14 tandem aliquando alloquitur. Unius Blandinii codicis lectione *cur timebo* nihil proficimus. Providum autem augurem timere alicui absonum mihi videtur, cum providus is sit augur, qui futura praevidet, numquam is, qui caute prudenterque agit, numquam is qui peritus est arte sua, qua significatione homo ineptus qui hos versus composuerit et pauci editores vereor ne usi sint[17]).

Peerlkamp addit: *Suspectum quoque est h. l. auspex propter ea quae dixit Bentley ad I c. 7, v. 27.*

Permirum sane quod omnes qui ibi Bentlei conjecturam acceperunt, et Bentley ipse quidem de hoc loco ne cogitasse quidem videntur, in qua re omnibus momentis cogitatione diligenter perpensis hoc certum teneo: eos qui illo loco corrigant hic mutare oportere, qui hic emendandum esse censeant non cogi, ut priore loco Bentleium sequantur, de quo loco infra adn. 33. Hoc enim rectissime evicit Bentley numquam homines nominari auspices, saepius deos[18]). Quin apud Ciceronem in libris de natura

deorum et de divinatione conscriptis numquam de auspicibus, sexcenties de auguribus et publicis et privatis disseri invenies, ubi non solum qui in collegium augurum cooptabantur, sed et Calchas Mopsus Tiresias Amphiaraus Helenus Amphilochus Attius Navius augures nominantur[19]) et cum enumerat haruspices augures vates somniantes hariolos conjectores[20]) numquam addit auspices, quos nullus Romanus novit, nisi legis et nuptiarum auspices qui huc non pertinent.

His causis fortasse etiam alius quis permovebitur, ut hos quattuor versus aliena manu interpositos esse censeat, considerans vix unum vocabulum inesse quod non suspicionem moveat, versuum continuationem seriemque infelicissime interrumpi, facillime nos iis non solum carere posse, sed superfluam esse totam stropham ac taedii plenam; alius fortasse alia non recta et falsa in ea inesse inveniet. Ego quidem certo credo hos versus ab Horatio non esse scriptos.

Peerlkamp de tertia stropha haec dicit: *Obscuri versus quos sentias magis non esse Horatii quam diserte dicas cur non sint. Tam impedita est sententia et verborum cursus. Et quid differunt ingrato modo repetita illa, avis divina imbrium, corvus oscen, vaga cornix, quibus in cumulum additur picus?*

Haec sane non sufficiunt; veras difficultates vir doctissimus non tetigit. Quaenam sit *avis illa divina*[21]), quomodo interpretandum illud *antequam*, curnam infaustum corvi omen suscitet, nemo adhuc recte interpretatus est et quoquo nos vertimus in tenebras incidimus.

Ad unum omnes interpretes avem istam *cornicem* esse dixerunt nullis argumentis additis, quibus permoti Horatium illam potissimum avem indicasse crederent, cum et corvi et mergi et fulicae et anseres et noctuae et graculi et anates et hirundines et grues et alcyones et gaviae et ardeae[22]) imbres ac tempestates imminere vel cantu vel volatu praedicerent. Horatium ex tanta multitudine, quae facile augeri potest, arbitror numquam cornicem sumpturum fuisse, quam paucis versibus post (v. 16) nominaret. Afferunt homines docti, ut opinionem suam confirment, Ciceronem (de div. I 18, 14) qui de cornice dicit:

Fuscaque nonnumquam cursans per litora cornix
Demersit caput et fluctum cervice recepit.

Plin. XVIII 35, 363: *et cum terrestres volucres contra aquam clangores dabunt perfundentesque sese, sed maxime cornix* (sc. imbres imminere significant)[23]. Vide quam sint dissimillima haec, cum Cicero et Plinius de avibus terrestribus, quae in litore spatiantur, Horatius de avibus aquaticis loquatur ad stagna, quae qua re permotae reliquerunt nescimus, revertentibus. Horatius dixisset aves medio ex aequore ad litus revolasse, non: paludes domicilium suum repetisse.

Acquiescens in omnium interpretum opinione corvum ab ortu solis advolantem praebere faustum omen, quod huic loco unice convenit, quomodo possit explicari illud *antequam*, nescio.

Janius, quem omnes interpretes secuti sunt, dicit: *Horatius bona auguria exposcere precibus antequam infausta ostendantur et sic haec antevertere vult. Nam quod primum oblatum esset omen, ab eo res pendere credebatur*, quod contra artem auguralem disputavit vir doctus, cum quia Romuli duodecim voltures tempore posteriore advolantes plus viguerunt quam Remi sex qui priores advenerant, in omne tempus lex esset: *augurium posterius maius superare augurium antecedens minus*[24]. Si igitur oscen corvus maius praebebat auspicium, quam avis ista divina imbrium imminentium, ut verisimile est[25], praevalebat etiam si post illam apparebat, sin minus, nihil valebat, etiam si prior advolaverat. Auspicii occupati nullum extat exemplum.

Corvus autem oscen ab solis ortu prece suscitatus, qui neglectis difficultatibus quas Poinsinet de Sivry, Tanaquil Faber, Andr. Dacier indicarunt quidem, sed non solverunt, omnibus fere interpretibus bonum faustumque omen praebere visus est, ut verum fatear me valde torsit; pertractata tota arte augurali, de qua pauca in corollario huic dissertationi addito invenies, haec mihi vera esse videntur.

Apud Etruscos et Romanos augures in auguriis capiendis meridiem versus spectantes regiones templi ita terminabant, ut oriens sol ad laevam, occidens ad dextram situs esset avesque faustae et admissivae ut ab oriente advolantes sinistrae, inauspicatae obscaenaeque ut ab occidente dextrae essent. Secundum artem autem auguralem per omne tempus apud populum Romanum (nescimus qua causa) corvus a sinistra advolans inauspicatissimus erat[26], unde apparet si in nostro carmine Horatius ab

oriente i. e. a sinistra corvum suscitat, infaustum eum omen precari, quod absurdum esse propter ea quae antecedunt et quae proxime sequuntur quisque intellegit[27]. Fac istum providum auspicem orientem spectasse: nos nihil lucrari vides, cum corvus ab oriente advolans numquam non infaustum omen faciat. Fortasse jam dudum aliquis quaesivit, cur rem auguralem Romanorum premam. An me nescire poetis Graecorum more uti licuisse, quibus dextrum esset quod Romanis sinistrum? At neque Horatius cum in his strophis Romanum augurem se gerat, cum Romana tantum auguria ut parram lupam serpentem cornicem corvum picum nominet oscinemque[28] corvum prece suscitet, subito ad Graecum morem transgredi potuit nullo modo transitu indicato, neque si fecit ullo modo corvum suscitare potuit, quem ab occasu advolantem tantum faustum praebere omen ut Plautus docet vel infimae plebi notum erat; nam et Graeci ab ortu advolantes aves faustas δεξιούς appellaverunt. Potuit igitur dicere: corvum suscitabo, ut dextrum omen reddat, sive hoc acciperetur ex more Graeco ut faustum omen, sive ex Romano ut avis a dextra advolans; potuit dicere: corvum suscitabo, ut sinistrum omen faciat i. e. ut secundum Graecorum morem a laeva parte advolans contrarium atque omnes aliae aves omen praeberet corvus, secundum Romanorum, ut sinistrum i. e. felix omen esset; potuit ab occasu eum suscitare, non potuit ab ortu.

Postquam diu frustra quaesivi quomodo ex his angustiis me liberarem, hoc fortasse modo rem explicari posse credidi. Erat enim fortasse lex augurum ut corvus mane crocitans ratum augurium redderet. Scimus autem augures si auspicium capere vellent sub divo pernoctasse et in loco puro sub mediam noctem caelo non turbido nec procelloso sed silenti placido sereno se collocasse[29]. Accipio igitur verba *solis ab ortu* non regionem designare, sed tempus, quo auspicium capere velit. Quam explicationem si acceperimus etiam vv. 9 et 10 qui antea nullum sensum praebebant, optime explicari possunt; quia caelo tantum sereno auspicia rata esse, aquam imbres exstinguere auguriorum vim ex augurum arte scimus, cur Horatius antea corvum suscitare velit, quam ulla avis imbrium imminentium divina apparuerit, quae circa solis ortum advolare solent, nunc quidem intellegimus[30], nec necessarium est certam avem nominari cum quaevis

apta sit. Nostrae sententiae nunc quoque favet Acron: *ab ortu enim solis prospera corvi omina sunt*, nisi forte me assentiente Acronem ex hoc ipso loco conjectura sententiam suam desumpsisse credere praefers. Summam dubitationem an pro eo quod dici solet *sub solis ortum* poni possit: *ab solis ortu*, prorsus mihi ademerunt Festi verba l. c. *complures nostros in Capitolio a sole oriente auspicis operam dare solitos*, quod Dionysius l. c. p. 223 vertit: ἐξ ἑωθινοῦ καθέζεσθαι.

Si quis hanc explicationem justo artificiosiorem esse putat, meliorem opponat, quam libenter arripiam; si hanc stropham prorsus supervacaneam ideoque ejiciendam censet meo quidem judicio justo audacius faciet, nisi graviora argumenta afferet.

Minore negotio quam in defendendis iis, quae proxime commemoravi, in damnandis vv. 21—24 defungar. Singula quidem verba fortasse exemplis allatis explicari queunt, quos versus tamen, quia cum proxime antecedentibus iisque quae sequuntur aut omnino non cohaerent aut male continuati sunt et quod sententia versuum non solum non apta sed inepta est, post Peerlkampium Meineke et Linker ut interpositos aliena manu e versuum serie et continuatione removendos esse censuerunt. Illi quidem rationes causasque ut solent non addiderunt, quarum paucas expono. Fuere qui Horatii animi ferocitatem mirarentur, qui, hostibus ipsis non commemoratis, mulieribus infantibusque, quae nullum ut illi sumunt delictum commiserunt, tanta pericula et tam saevas tempestates imprecetur. Etsi non multum ei tribuerim, quod homines docti observaverunt, scriptores latinos hostibus quidem ut omnia mala eveniant a diis precari, numquam uxoribus puerisque eorum, causam ego quidem, cur Horatius ita in hostes saeviat, cum jam initio tot dira impiis exoptaverit, non invenio nec interpretes attulerunt. Ritter qui dicit: *quippe antiquam ideam secutus iram deorum aliquo piaculo mitigandam esse censet* laudandus est mea sententia, quod causam afferendam esse intellexit, talem autem *ideam* Horatii et temporibus et ingenio prorsus abhorrere minimeque huic carmini convenire censuerim. Peerlkamp addit: *Iam motus orientis Austri non placent*, nulla causa argumentoque additis. Equidem venti motus non novi, quem scio non se ipsum sed maria terras litora movere; deinde permirum mihi videtur quod Horatius *orientem* Austrum commemoravit, quem non surgentem sed saevientem, summa vi flantem, caecoque impetu omnia turbantem verbis depingere debuit. Quod sententia flagitat, *caecos impetus saevientis Austri* vereor ne homo ineptus metri causa mutaverit in *orientis* Austri impetus. Rectissime porro Peerlkamp *ripas* pro litoribus dixisse poetas temporibus Augusti viventes negavit[31]. Tum pro singulari *verbere* melius pluralem *verbera* posuisset[32], addendumque erat vocabulum quoddam ut *fluctuum vel undarum*, scribendumque: *trementia undarum verberibus litora*. Commemoranda quoque mihi est Bentlei conjectura: *et gementes verbere ripas*, ingeniosior ut saepe emendationes eius[33] quam ut accipi possit; dici posse litus tremere undarum pulsu ipse loco allato probavit, cui multos addere possum, cf. Val. Fl. II, 78. 504. V, 108. VI, 168. Pergit Bentley: *Ceterum etsi facile concesserim ripas marinas tremere pulsu undarum, vix tamen illud aequa aure acceperim, ut in alto (quemadmodum hic) navigantes talem litorum tremorem sentire possint. Quare vide an non facili mutatione gementes potius scripserit Horatius: si quidem gemitum litorum vel e longinquo sentiunt qui navibus praetervehuntur; tremorem vero nemo nisi qui terra in ipso litore consistit.* Quod verum esse etsi Bentleio concesserim, quamquam in alto, tempestate saeviente aequore nigro fremente, audire posse homines litorum gemitum vix credo, tamen utrum re vera sensibus suis navigantes tremorem percipere possint nec ne non quaeritur, cum qui hos versus composuit ut hostium uxores puerique tales tempestates experiantur[34] exoptet tempestatumque descriptioni inserviant ventorum motus aequoris fremitus litorum tremor quae Vergilii versus imitantur (Georg. I, 355):

Continuo ventis surgentibus aut freta ponti
Incipiunt agitata tremescere et aridus altis
Montibus audiri fragor aut resonantia longe
Litora misceri et nemorum increbrescere murmur.

Perpende nunc sententiarum ordinem quam inconcinnus et contortus sit. „Impios ducant pessima omina parra canis lupa volpes. Tibi, Galatea, faustum omen suscitabo, tu sis felix ubicunque mavis; at vide tempestatum tempus adest, novi ego quam facile exoriantur. Hostes experiantur tales tempestates. Sic et Europa corpus suum tauro credidit". Intelleges quam male talis execratio repetita sit, quae cum iis quae sequuntur prorsus non

cohaereat, cum ineptissime addatur *Eodem modo Europa sensit motus orientis Austri, aequoris nigri fremitum* et cetera, *postquam tauro se credidit*, quae falsa esse et aliunde et ex ipso Horatio scimus, qui noctem sublustrem, astrorum fulgorem, caeli serenitatem effinxit. Ejectis his versibus vide quam apta sit sententiarum series et continuatio:

Tu Galatea vivas felix memorque nostri, tuumque iter comitentur faustissima omina. At expertus sum ego quidem ventorum undarumque fallacitatem, scio in mari Adriatico maxime hoc anni tempore celerrime tempestates oriri. Cave igitur ne caelo sereno placidoque mari nimium confidas, quae ad navigandum invitant. Europa quoque talibus fallacibus blanditiis pellecta est, ut tauro se crederet, cum qua erat innocentia sub bovis forma Jovem latere non perspiceret et sero in medio mari fallaciam fraudemque intellegeret. — Pauca ad ea quae restant addere liceat.

Adhuc interpretes non docuerunt, curnam Horatius commemorasset lupam a Lanuvino agro decurrentem, cum ad solam viam Appiam indicandam non additam esse appareat (hac enim via omnes ad mare Adriaticum Brundisium proficiscebantur); primus Ritter satis ingeniose de ea disseruit: *cur lupa rava ab agro Lanuvino decurrere dicitur? Scilicet iter fieri in regina viarum Appia meridiem versus cogitat. Sic eunti a dextra atque occidente est lupa ab agro Lanuvino decurrens h. e. ab ea parte quae ex augurum Romanorum lege infausta erat.* Errare tamen in eo mihi videtur vir doctissimus, quod omen dirum praebere animal quod ab occidente accurrat putat. Certa enim lex erat augurum Romanorum, auspicia captantes respicere caeli regiones, manus suas proficiscentes[35]. Ab dextra autem accurrens animal vix omen dirum facere potest propter ea quae sequuntur: *teque nec laevus vetet ire picus, nec vaga cornix.* Accedit quod et lupus et lupa ut Marti consecrati plerumque bona auguria praebere solent, ut ap. Liv. X, 27[36]), quin Plin. VIII, 22, 84 docet: *Inter auguria (lupus) ad dextram commeantium praeciso itinere si pleno id ore fecerit, nullum omnium praestantius.* Ita ut haec lex a certa in Lavinio condendo[37]) occasione deducta esse videtur, etiam lupam ab Lanuvino agro decurrentem dirum omen facere solere ex certa quadam re ab scriptoribus originum Latinarum commemorata credo originem duxisse[38]). Ex Acrone qui

ad v. 19 haec addit: *Futurae se nosse signa tempestatis ostendit vel ex maris Hadriatici sono vel ex flatu Iapygis venti, qui ex sereno subitam facit tempestatem* Peerlkamp in verba recepit vocabulum *sonum* hac significatione: *Audio ex longinquo sonum Hadriae in aëre murmurantem. Novi quid sit et ferat iste sonus.* Injuria opinor. Ut taceam ridiculum esse Horatium Romae Hadriae sonitum audientem, falsus in eo mihi videtur esse vir doctissimus quod dicit: *loqui Horatium de imminente tempestate,* cum poeta non hoc quidem sed illud velit: nunc quidem omnia felicem navigationem sperare jubere, sed hanc esse maris Adriatici Iapygisque venti naturam mobilem et fallacem maxime sub hiemis adventum, ut subito ventorum impetu maxima tempestas exoriri possit[39]).

V. 26 omnes ni fallor interpretes *latus* accipiendum esse ut partem pro toto corpore censuerunt, quod in hac voce fieri exemplis vix probare poterunt. Immo suo ipsius latere tauri tergo se applicans, non in eo insidens, per mare vehitur Europa, qualem in gemmis vasibusque pictis effictam eam, qualem Ariadnem in pardali vehentem a Danneckero exsculptam videmus[40]).

Tauro per undas vecta Europa *palluit audax,* cuius oxymori exemplum attulit Peerlkamp apte versum ex Sen. Med. v. 346:

Palluit audax Tiphys, cui addo V. Fl. VII, 573:
Horruit Argoae legio ratis
Horruit audax. Stat. Theb. VI, 386:
Spesque audaxque una metus et fiducia pallens.
Nil fixum cordi: pugnant exire paventque.

id. VII, 341: *sed Thespiacis jam pallet in agris*
Trux puer.

et ex Ovidio[41]) versus quos miror non jam ab alio adscriptos (T. III, 9, 18):

Et quamquam superest ingens audacia menti
Pallor in attonito virginis ore sedet.

Palluit autem Europa *scatentem*

Beluis pontum mediasque fraudes, quas fuerunt qui interpretarentur, nescio qua re adducti, *scopulos sub maris aequore latentes,* ut Vanderbourg, Düntzer, al.[42]). Rectius fecere, qui putaverunt Europam fraudes, quibus capta erat, serius cognoscere, sive de pluribus fraudibus cogitare vis, sive putas Horatium se-

cundum poetarum morem fraudes pro fraude dixisse, numero plurali pro singulari usum[43]).

Ad pulchram[44]) illam navigationis nocturnae descriptionem Janius exclamat: *Horrendum spectaculum!* Horrendi ego quidem nihil in eo invenio, illud autem valde me vexavit, curnam Horatius *nocte sublustri* Europam per mare vehentem faciat, cum ut omnes Europae querellas solaciaque Veneris cogitemus obscura nocte prolata esse cum magna admiratione cogamur. Audacioribus haec causa sufficiens erit ut hos versus, quos pulchros esse negare nolint, ut Moschi verba (v. 129) imitantes ejiciant. Mihi quidem haec non sufficere videntur, quamquam confiteor me non intellegere, quidnam hi versus sibi velint; superflua esse haec concedo. Hoc autem certum est ad Galateam deterrendam ea nihil valere, ut plerique volunt, cum enarrent, quae iis, qui non in tauri tergo insident, sed navi per placidum mare astris lucentibus vehuntur, pulcherrimum spectaculum praebeant necesse est. Videant alii.

Versum ex Seneca (Tr. 830) a Peerlkampio allatum:

Urbibus centum spatiosa Creta

nuper alter Senecae editorum (in Add. p. XLVII) dubitanter is quidem emendare studuit scribens: *speciosa Creta*, speciosius opinor quam verius; illud pluribus verbis expressisse mihi videtur Ovidius: A. A. I, 297. H. X, 67.

Versum 34 eosque qui sequuntur diverso modo interpretantur interpretes: aut Europae *patris nomen* tantum reliquum esse, aut *filiae nomen* tantum reliquum, revera filiam non jam esse, aut Europam *filiae nomen* filiaeque officium reliquisse, quarum trium explicationum prima inconcinna est eo, quod in priore membro simile quid dicatur necesse est atque in posteriore dicique nequit: *o pater, tuum nomen unicum mihi restat et pietas mea victa est furore;* alteram refutare supersedeo; unice rectam esse tertiam ex verborum ordine et continuitate, ex sententiae concinnitate, ex sermonis denique latini usu atque consuetudine apparet[45]); idem repetisse Horatium non affirmaverim; alterum enim cum voluntatis suae judicio fecit, invita alterum; alterum ad ipsius puellae officium pertinet, ad amorem erga parentes alterum; altero tauri conscendendi audaciam, altero monstri non cognitam fallaciam significat. Pessime enim *furorem* de amore explicant

interpretes; furor est mentis concitatio quae divinitus fit, brevis vehementiorque solito affectus ac perturbatio, qua effrenate fertur animus ac temere caecoque impetu agit, quod vocabulum tantum abest ut semper in malam vertatur partem, ut Silius in bonam accipiat[46]). Itaque quamque animi mentisve temeritatem, qua ad facinus quoddam committendum impellimur, quam a deo quodam in nobis excitatam credimus recte furorem appellamus[47]).

Nullo modo verba *victa furore* ad ea quae sequuntur trahi possunt, et propter multa alia et quia in Horatii strophis sapphicis enuntiatum numquam in fine tertii versus plene finitur, ut quartus cum altera stropha jungendus sit.

Laudibus, quibus versus qui sequuntur ab interpretibus elati sunt, si meas adderem, ut dicunt γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Ego afferam quae vituperanda mihi videntur.

Num verba *Unde quo veni* per exclamationem an per interrogationem pronuntianda sunt? Prius: *unde veni! o me miseram, o me afflictam!* Europa patria domo relicta, optime dicere potest, exclamare nequit: *quo veni!* hoc enim nondum scit; quod nescimus interrogare solemus: *quo veni?* ridiculum autem esset si Europa interrogasset: *unde veni?* Distinguendum igitur necessario esset: *Unde! quo veni?* Quod cum fieri non possit, patet verba ita scripta ferri non posse. Quod Lübker dicit: *Warum ist bei unde quo veni nicht eben so gut an das homerische* τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν *als an das vergilische quid loquor aut ubi sum? gedacht*, quivis videt haec dissimillima esse, apud Homerum duas particulas interrogativas sese excipere, hic alteram esse interrogativam, alteram ut mihi videtur exclamantis, apud Vergilium suum cuique additum esse verbum, hic priori deesse. Omnium eorum, qui verba *levis una mors est virginum culpae* legerunt, nemo ut videtur sensit hunc dicendi usum ac rationem a latinis regionibus quam remotissimum esse. Romani ni fallor dicunt, unam mortem esse levem poenam virginum culpae, nemo autem affirmare audebit virginum culpam positam esse pro virginibus culposis. Sequentes versus, qui totam fabulam pessime corrumpunt, vix dici potest quam sint ineptiarum pleni. Primum *turpe commissum* hic nihil aliud significare posse mihi videtur nisi stuprum; et ut demonstrem non me solum hoc opinari utar hic verbis Steineri, qui, in Horatii carmina versus interpositos

esse negans de hoc loco in commentationum particula altera (Crucenaci 1847) disserit: *Hic parum recte Dillenburger culpam et turpe commissum nihil aliud esse docet nisi quod Europa temere reliquerit patrem. Ea vero impietas non virginum, sed filiae (filiarum, liberorum) culpa dicenda erat. Virginum culpa i. e. culpa quam virgines committunt (virginea culpa) hoc loco dicitur laesa stupro virginitas. Pluralem autem numerum vitiis aut ad duo illa vitia et pietatis et castitatis violatae referas aut ita usurpatum existimes, ut apud Tac. Germ.* 23: *„haud minus facile vitiis quam armis vincentur", quo numero plurali unum declaratur ebrietatis vitium.* Haec ille. Posteriorem explicationem unice veram esse existimo, etsi rarissime pluralem tali modo pro singulari poni non negaverim, quamquam hoc evincere difficillimum est[48].

Multi multis verbis Horatium ob verecundiam, qua in hac stropha usus sit, laudant. Itane vero? equidem contrarium dixerim, quia commemorat quod verecundus poeta quod pudica puella non narrasset, cum nihil eum ut ea diceret cogeret. An apertius talia indicari possunt quam verbis *turpi commisso* et *vitio?* Quonam tempore quonam loco Juppiter vitiavit virginem? an in mari? an sub tauri forma? hoc fecerit necesse est, nam poeta ipse dicit Europam queri incepisse simulac Cretae litus attigerit. O decentem poetam! Immo vero, noli talia Horatio imputare! Nullum vocabulum in ceteris versibus inest, quod de tali turpitudine cogitare nos cogeret; haec solum homo ineptus ne minima quidem sensus poetici parte praeditus adfinxit.

Praetermittens puellae summo dolore affectae insolitam de porta eburna doctrinam, quae Janio[49]) quidem non placere videtur, adjicio huc usque neminem demonstrasse verba: *imago ducit somnium* a scriptore Romano dici potuisse. Lepide quidem Janius: *Proprie omnino somnium ducit imaginem, sed doctius per inversionem imago somnium, quatenus somnium intellegi potest eius ipsius qui somniat sensus!!* quem omnes ad hoc nostrum tempus plus aequo proni in obsequium secuti sunt. Ego certe affirmo nec temere, sed perscrutatus poetarum monumenta: neque somnium ducere posse imaginem[50]) neque umquam somnium duci ab imagine[51]). Mihi videtur is qui composuit hos versus dicere voluisse: *quam per portam fugiens eburnam somnus ducit,* metro autem ac nescio qua alia causa coactus inepta protulisse.

Pergo ad proxima et ipsa non melioris notae. Vide quam sit ineptum illud *meliusne fluctus ire per longos fuit an recentes carpere flores,* quasi de hoc dubitari posset Europaque, antequam taurum conscendit, optionem potestatemque eligendi habuisset[52]). Homo ineptus dicere voluit: *Meliusne fuit recentes carpere flores quam fluctus per longos*[53]) *ire,* quae sententia ne novitatis quidem virtute excellit, cum quae supra (vv. 29—32) optime exposuit Horatius, hic pessime repetita sint.

Vocabulum *infamis* non bene positum, neque enim idem significat ut nostrum *infam,* tauroque non convenit, qui nondum in hominum famam venit[54]). Cornua porro non lacerantur, sed franguntur; ne conjungamus: *lacerare eum ferro et frangere eius cornua,* vetant versus 71 et 72: *cum tibi invisus laceranda reddet cornua taurus.*

Irasci Europam minus aptum mihi quidem videtur quae nimio patriae relictae dolore sollicitudineque omissi officii afficitur. Porro unde ferrum habet Europa? In talibus occasionibus ferrum ne necessarium quidem est, sed mulieres iratae manibus unguibus dentibus invehuntur in eum qui iis odio est[55]).

Minime autem in Europam convenit, quod iste dicit, eam taurum multum amasse. Misella! quae postquam per ludum taurum conscendit invitissima per undas a bestia abrepta est. Bestiae amandae turpitudinem matri reliquit, et ut Ariadne dicere potest:

Ceperunt matrem formosi cornua tauri
Me tua (Liber) *me laudant, ille pudendus amor.*

et: *Nihil esse credo turpe commissum mihi*
Nam monstra fato, moribus scelera imputes.
Vel quia peccavi citra scelus utque pudore
Non caret, invidia sic mea culpa caret[56]).

Ego non dubito quin hae tres strophae inde a v. 37—48 aliena manu interpositae sint, Guieto antecedente qui (secundum Sanadonum) vv. 45—48 ejiciendos esse declaravit. Nihil desiderabit, qui se ibi legisse versus non meminerit.

Quod Europa impudentem se ipsa nominat Peerlkamp vituperat, cui hic quidem non assentior. Europa animo excitata et commota de se ipsa vehementioribus vocabulis uti potest. Eius animum occupare et totum explere credo patris relicti dolorem

desideriumque finiendae vitae quam integra pudicitia ac sine culpa persequi non posse intellegit; cum se ipsa necare non iam audeat a diis mortem precatur, quibus precibus spretis, quid mirum si iste metus furore instinctus patris imagine quoquo se vertat territam ad ultimum in mare se projiciendi consilium impellit?

Verba quae incipiunt *Utinam inter errem nuda leones* usque ad *sucus defluat praedae* maxime odiosa et injucunda sunt.

Multi interpretes cum inhonestissimum esse virginem nudam incedere intellegerent interpretati sunt, Europam sine auxilio, inermem leonibus obvenire velle, quam significationem in vocabulo *nudum* inesse scio[57]), hic ita intellegi posse nego. Omnes qui hac translata significatione utuntur verbis proxime antecedentibus iisve quae sequuntur semper plane indicant, quibus rebus nudatus sit homo vel res quaedam; si virginem in terra remota solam errantem nudam appellamus, nemo non de corpore vestimentis nudato cogitare potest. Cur corporis nuditatem exoptet pudica virgo nescio, quamquam Ritter docet nudam eam esse ideo *ut sine mora praeda fieri possit;* scilicet permagno leonibus impedimento esse solet tunicula! Cur leonum multitudinem exoptet puella inermis non satis intellego, dum aptius Septimius vir isque amore flagrans puellae amatae adjurat

Ni te perdite amo atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos
Quantum qui pote plurimum perire
Solus in Libya Indiaque tosta
Caesio veniam obvius leoni.

et iratissimus Naso inimico precatur:

Feta tibi occurrat patrio popularis in arvo
Sitque Phayllaeae causa leaena necis.

Quod Nauck asserit: *nuda verliert das anstössige durch den sprüchwörtlichen character der redensart,* vellem exemplis probasset; non unum locum novi ubi talia iisdem verbis dicta sint. Ad vv. 53—55 cum meo judicio subdiffidam aliorum verbis utar[58]):

Lübker: *So wenig ich das ganze mir würde rauben lassen, so gern entbehre ich diese strophe; sie steht ganz für sich da, niemand wird sie vermissen; sie erscheint als parallele zu dem letzten gedanken der vorigen strophe, der also wohl einer nachahmung oder einem versuche stoff bieten mochte. Das recht*

eigentlich hässliche des gedankens hat schon Peerlkamp aufgewiesen: Jetzt bin ich noch ansehnlich und fett und der mühe werth für die tiger mich zu verschlingen; wenn ich erst mager bin, haben sie nichts als haut und knochen.

Peerlkamp: *de tali sententia nihil dicere attinet. Enimvero aiunt interpretes: Europa cupiebat mori illaeso et integro corpore, quod erat solatium morientibus et morientium amicis. Sed si umquam puella misere lacerato corpore ad inferos abierit, illa certe abiit quae in potestate tigridum fuit.* Legas etiam reliqua viri doctissimi verba.

J. G. Steiner l. c.: *Idem (nec Romanis placere potuisse nec nobis) dicendum est de pictura illa III,* 27, 53 - 57 *quam Orellius quidem vituperare nos vetat, quoniam licet nostro sensu aliquando abhorreat satis videatur placuisse veteribus illis apud quos plura eiusdem generis reperiuntur exempla. At illa exempla quae e graecis latinisque scriptoribus protulit v. dd. non eandem quam haec verba habere offensionem facile opinor intelleges.*

Ritter: *est* ὀξύμωρον *desperantis, pulchra puella deformitatem corporis adeo perhorrescit ut statim confici quam paullatim interire praeoptet, sed hoc ita eloquitur quasi feris bonam praedam et pingues dapes praeripi nolit.*

Nauck: *Die ausschmückung (?) der praeda tenera und das speciosa pascere tigres halten wir nicht für ein übelangebrachtes selbstlob, sondern für den humor der verzweiflung.*

O sacram istam ironiam, qua omnia explicari posse credunt, quam aptissimam si dis placet in moriturae puellae ore! Quam conjunctionem versus Homeri Od. XI, 58 habeant cum nostris, ipse vir doctus videat.

Verborum sensum rectissime expressit Ritter: *corpus exsangue deprecatur; in eo suci cum defluxere, pro tenera juventa senectus arida et horrida incessit.*

Quisque igitur facile intellegit, hos tres versus nihil esse nisi amplificationem unius vocabuli *speciosi.*

At haec de tota sententia sufficiant, quam ego non possum quin Horatio abjudicem. Accedunt alia: qui hos versus composuit debuit scribere: *antequam mihi sucus diffluat, praeda speciosa quaero pascere tigres.* Metro coactus ineptias loquitur, cum si Europae sucus diffluit i. e. si senescit, nunc quidem ferarum

praeda fieri nequeat, sin praeda tigridum fit, senescere nequeat, explicandum igitur esset: *antequam sucus diffluat mihi praedae i. e. dum praeda non fiam;* at interpretes fortasse huic quoque rei perficiendae pares sunt sancta usi formula: *res pro rei defectu,* lucus a non lucendo, ut Kloucek in Hor. c. IV, 4, 14 *lacte* idem esse ait atque *absentiâ lactis*[59]).

De vocis *sucus* significatione, quod vocabulum hic minime pulchrum mihi videtur, adeas Forcellinum. *Defluere* sermoni latino non convenit; *defluere* semper est deorsum fluere; dicendum erat abire fugere de corpore vel tale quid[60]), saltem scribendum: *diffluat* ut Lucr. I, 1030

Nam veluti privata cibo natura animantum
Diffluit amittens corpus.

Quid sit sanguis defluens docet Festus p. 89: *Flemina dicuntur (ulcera) cum ex labore viae sanguis defluit circa talos,* ubi Müllerum legas.

Recte fortasse judicabit qui putaverit eum qui hos versus composuit meminisse versuum Statii silvarum (II, 1, 154):

Gratum est Fata tamen, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus Manesque subivit
Integer et nullo temeratus corpora damno
Qualis erat...

Utrum Europa se ipsa alloquens an patris imago proxima (v. 57—60) dicat, dissentiunt interpretes, quae quaestio vix ad liquidum perduci potest, cum paterne an filia loquatur fere ad idem redeat. Europa patris territa specie quam urgentem, mortem unicum solacium suadentem, oculis quasi videt auribusque audit, irataque quod vivendi amore puellarique mortis metu retenta his conscientiae suae monitis non pareat, sibi exprobrat cur mori moretur, quibus verbis exclamatis optime tibi fingere possis Europam in eo esse, ut in mare se projiciat. At alia eloquitur. Non recte per vituperationem dicit Peerlkamp: *Sed pater absens nescit, non modo ubi filia esset, verum etiam quid illi accidisset et omnino viveret an vixisset. Scio quibus modis et hoc et illud explicantur.* Haec ille; neglexisse mihi videtur vir doctissimus Europam suas ipsius cogitationes proferre, se ipsam patris imaginem sibi effingere, nihil igitur referre, utrum pater aliquid de illa sciat an nesciat[61]).

Vilem se ipsa nominat, cui vita nullius jam pretii esse debeat, quia utrum filia quae patris domum reliquit vivat an moriatur nihil interest[62]).

Verba inde a *Potes hac ab orno* usque ad *saxa delectant* interposita esse credo. Inepte dicitur zona Europam bene esse secuta, ubi quam omnes interpretes invenerunt ironiam neque intellego et si intellego neque pulchram poeticamve neque in Europam hic convenire puto.

Verba *laedere collum* inde a Bentlei temporibus interpretibus difficillima visa sunt, pro quibus *elidere collum* scripserunt. Muretus Lambinus N. Heinsius Bentley Cuningham Gessner Klotz Sanadon Paldamus (in prgr. Gryphiswald. 1847) Lachmann (ad Lucr. p. 324) Haupt Meineke Linker Pauly (is quidem *laedere* in editione sua, *elidere* in Z. f. ö. G. 1857 p. 598). Certum est saepissime dici apud poetas *elidere fauces vel collum* et multis illis exemplis a Peerlkampio et Bentleio adlatis multa addi possunt[63]). Poetae variare quidem licet et alii colla laqueis artis inserunt, laqueo collum nodant, ligant, claudunt, premunt, frangunt, artant et fauces, cervices, guttura nodo condunt, in laqueum inserunt, laqueis implicant animamque claudunt et gulam oblidunt[64]), numquam pendulum collum zona laedunt. Laedere enim collum, quod cave ne pessime idem esse atque elidere interpreteris, id ipsum non exprimit quod desideratur; nihil enim ad rem pertinet, num collum laedatur *(verletzt wird),* sed num frangatur, num spiritus intercludatur. Numquam autem in verbo laedendi talis significatio inesse potest[65]).

Etsi *laedere collum* ferri non posse credo, tamen ne virorum doctissimorum exemplum[66]) sequar, vetare aliud videtur: Horatii versus iste *venale nec aurum* unicum quod scio certum est exemplum apud poetas et Graecos et Romanos, in quo vocabulum inter duos versus ita dividitur, ut in priore una tantum syllaba, in posteriore plures collocentur; magna autem cautione utendum est et valde dubitandum, num liceat tali singulari exemplo alterum addere[67]).

Verba *sive te rupes et acuta leto saxa delectant* nescio utrum singulis vocabulis an tota sententia magis displiceant. Rupes et saxa, nulla distinctionis nota addita nihil fere discrepant; sagaciores (ut cum Rittero alii) rupes quas ante casum ascendat et

saxa ex solo extantia quibus illidatur explicant. Permirum deinde mihi videtur, quod puella in saxa acuta se dejicere vult; cur non in ipsum mare, ubi mortem et certiorem nec tantos dolores afferentem sibi adscisceret? Saxa dici posse *acuta leto*, quasi acuminibus suis letifera, valde dubito, nec quisquam quod scio simile exemplum attulit. Prorsus alio sensu et recte quidem Horatius III, 2, 10 dixit: *asperum tactu leonem.*

Ne vocabulum *leto* cum *delectant* conjungas vetant et sensus et continuatio seriesque verborum.

Si me audis hos quattuor versus prorsus superfluos ejicies.

Confiteor me adhuc nescire quomodo verba *age te procellae crede veloci* explicari possint, quae interpretes aut silentio ut multa praetereunt, aut interpretantur ut Janius: *Cum qui praecipitat se de rupe ventis se tradat quatenus per auras fertur; hinc gravius etiam — crede te procellae, quod scaenae quoque horrorem auget, si procellas circa puellam frementes cogites.* Nauck scilicet iterum ironia sua utitur. Hanc nullam esse explicationem quisque videt. Verbum *credere* numquam, opinor, ex hac significatione excedit: *dictis vel factis fidem habere*, et si saepe nos vel navem mari, undis, ventis (navem fortasse etiam procellae) credimus, speramus fore ut salvi ex eorum potestate dimittamur, quod huc sane non quadrat. Unus Ritter hoc intellexit periculumque fecit interpretandi dicens: *Procellam non dixit tempestatem, sed nisus se praecipitantis.* Utinam verum esset! ego valde dubito num hoc exemplis probari possit[68]). Videant alii, neque enim audeo hanc ob rem hos quattuor versus ejicere, qui cogitationem exprimunt, quae in puellam in insula deserta relictam convenit et ea quidem aptis pulchrisque versibus expressa. Superflua sane est tota stropha nec quisquam eam si abesset desideraret, nec reticeo id mihi displicere, quod Europae orationis vis his versibus nullo modo augetur, immo aliquantum descendit et quod nunc quidem nulla causa adest, cur Venus hoc potissimum temporis momento appareat, postquam Europa a mortis sibi inferendae consilio ad alias cogitationes declinavit, cum aptissime et puto prorsus poetice cogitare quis possit finiri orationem v. 58 cum exclamatione: Quid mori cessas!? ubi tunc quidem Venus Europam in mare se praecipitaturam retinere debet. At hic fortasse nimium opinioni ac libidini meae concedo.

Perfidum ridentem nec Venerem nec hominem quendam apud scriptores inveni, neque quomodo hoc intellegendum sit video, cum is sit perfidus, qui per fidem decipit, qui fidem violat; si igitur Venerem perfidiosam nominas non repugno. Quod interpretantur: *schalkhaft, malitiös al. lächeln*, vide ne non sit latinum; perfidum ridere non idem est ac nostrum *perfid lächeln.* Decipiuntur homines docti nostri sermonis usu ac consuetudine. Hoc igitur enuntiatum inter ea numerandum est quibus Horatius solus usus est[69]).

Cum minime rectum esse credam quod Otto Keller nuper de carpendo disputavit (J. f. P. u. P. 1864 p. 524: *in carpere sind ursprünglich 2 verschiedene stämme,* 1) *=pflücken,* 2) *=fahren, von letzterem kommt carpentum*) liceat mihi paucis proponere quam ego inesse puto verbo propriam et principalem significationem *iterum iterumque aggrediendo semperque aliquid demendo imminuendi.* Sic exercitus hostium agmine, leto, pestilentia: hominum turba ponto ferro dolis (S. P. 483): nos labore amore cura invidia: opes nostrae ruina (O. E. III, 832) muneribusque: domus igne: vires aetate, caeco amoris igne carpuntur (*aufreiben*). Carpimus lanam, colum, crines, genas digitis nostris. Viam pedibus vel curru, mare navibus vel remis, aethera et aëra alatis equis vel alis, campos gradibus carpentes de itineris longitudine semper aliquid demendo gradatimque spatium imminuendo ad itineris finem pervenimus. Sic livor carpit dente maledico et invidia carpit et carpitur una (O. M. II, 781) et ut femina carpit amantis opes, sic otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis, immodicus contra carpit utrumque labor. Quorum copia imminui quidem, sed non facile tota consumi potest, de iis saepius adoriendo semper aliquid demimus, plerumque ea in usum nostrum convertentes, et si flores, laurus, poma manu, oscula ore, somnos somnique munera, regni commoda (O. F. III, 622), diem, gaudia, otia carpimus, eorum quasi singula quaque particula fruimur. (Hinc „carpe diem" idem ac „fruere vel minima eius parte".) Ut hic demendi fruendique significatio urgetur, sic illa imminuendi et in singulas partes dividendi, si cibum digitis (O. A. A. III, 755), orationem in plures partes, fluvium in rivulos carpimus, et viscera ab equis (O. I. 460) et vulturibus, membra ungulis cruciatorum carpuntur; omnes autem signi-

ficationes, ut mihi videtur, derivantur a principali illa: *Iterum iterumque aggrediendo semperque aliquid demendo imminuere.*

Venimus cum v. 69 iterum ad stropham interpositam et a Guieto recte eiectam, quod ut demonstretur gravissima argumenta non desunt, cum quidquid attigeris ulcus sit. Cum *ludendi* significatio haec sit: ludo se delectationis causa exercere, quod verbis aut factis facere possumus, necesse est verba aut facta quibus Europam Venus irriserit memorentur. Tum quia apparet ex vocabulis *ubi lusit satis* talia verba aut facta iis antecessisse, aut hiatus est inter versum 68 et 69 strophaque excidit, aut hoc nostrum enuntiatum non recte se habet. Ritter quidem dicit: *joca ad Europam reticuit poeta ne dignitatis jacturam faceret; post lusus veram animi sententiam dea prolocuta est*, rectissime ille quidem quod tale quid afferre indignum censet (et miror equidem cur hac causa non sit permotus, ut hanc stropham ejiceret); si autem reticuit poeta jocos, his vocabulis *ubi lusit satis* uti non poterat; cum iis uteretur, verba cavillantia ipsa necessario erant afferenda, quod statim intelleges rectum esse, si post stropham paenultimam initio ultimae ponis haec vocabula *ubi lusit satis*, quae tunc quidem antecedentibus verbis ludificantibus optime se haberent. Numquam autem *ludere* idem est ac gaudere vel laetari animo de aliqua re, qua significatione uti videntur interpretes quidam et nisi fallor is qui hos versus interposuit[70]).

De proximis audi Bentleium: *Abstine, inquit, irarum et rixae, cum invisus taurus laceranda tibi reddet cornua. Equidem cum bona eruditissimi Dacierii venia fatebor hic tarditatem meam, qui nihil tam pulchrum et egregium in his versibus deprehendere valeo, quae ille tantopere admiratur. Tum abstine irarum, cum taurus redierit. Quid interea quaeso faciet, dum redit ille? an in aestu et fermento tantisper relinquenda erit? Jam nunc opinor pacanda potius et consolanda erat misella virgo prae maerore et ira vix sui compos. Abstineto vero irarum cum taurus lacerandum se praebuerit. Metuendum scilicet erat, ne si vehementius tum commota esset deum sub bove latitantem obtruncaret! Haecine ceu pulchre et decore dicta laude prosequimur? non, si sapimus.* Hanc difficultatem conjectura ille quidem removit scribens: *Jam tibi reddet cornua taurus*[71]). At

aliae graviores restant: unam emendavit Meineke p. XIX, qui audaci sane mutatione utens pro *abstineto* restituit *abstinebis*, cum satis mira sit haec Veneris suadentis emphasis. Hoc vix librarius mutasset. Quod Horatius solus *abstinere* verbum cum casu genetivo junxit, defendere studuerunt homines docti simili verbi *desinere* usu. Cum autem sciamus in feriis indicandis formulam fuisse omnibus Romanis notissimam: *litibus et jurgiis abstineto*[72]), quamquam non negaverim licuisse poetae verbum *abstinere* cum genitivo casu conjungere, ego quidem non credo Horatium scripsisse *abstineto irarum et rixae.* Homo ineptus ipsum Horatium (III, 14, 26) imitari voluit. Accedit quod tolerari vix potest Venerem in hac oratione brevissima eandem admonitionem repetere, hic *abstineto irarum et rixae*, mox *mitte singultus*, ubi intelleges quam aera distent lupinis. Idem ille, qui supra (v. 45 sqq.) Europam iratam taurumque lacerare volentem sibi effinxit, hic cornuum lacerationem, iras, rixas (cum quonam rixavit?) iterum protulit, scilicet cum omnibus interpretibus haec pulcherrima esse ratus; interposuit hanc stropham propter vocabulum *perfidum* et quia verbum dicendi abesse vidit, quo carere nos posse facile intellegitur. Vide quam inepta sit haec Veneris mutatio, quae ubi nulla jocandi irridendique causa aderat Europam jocis mordet, tum subito seria facta maxima cum dignitate puellam modo carptam solatur; talia nec Venerem, nec deam, nec carmen nostrum decent.

Commemoravimus supra quam mirum illud sit, Jovem sub tauri forma iterum apparere, cornuaque laceranda praebere. Expectamus Jovem ipsum deorum regem in conspectum venturum esse. Vide num haec tibi sufficiant, ut hos versus obelo notes.

Difficillimus est versus 73: *Uxor invicti Jovis esse nescis.* Proximae strophae irrisione puto multos homines doctos, inter quos Hauptium Meinekium Linkerum Ritterum esse miror, inductos esse ut crederent hunc quoque versum per ludum jocumque dictum esse a Venere. Ego saltem non intellego, quomodo talia per interrogationem exprimere potuerit Venus. Etsi Europa taurum non simplicem bestiam sed monstrum esse conjicere potuit, qua ex re Jovem latere sub tauri forma divinare poterat? nonne Venus ex ipsis Europae querellis cognovit eam de hoc nihil scire? Optime illi quidem fecerunt, quod alteram[73]) illam

explicationem repudiarunt *nescis Jovis uxorem te gerere, Jovis uxoris personam sustinere*, quod minime aptum. Quomodo Venus Europae se gerendi modum exprobrare poterat, quae omnino scire non poterat se Jovis uxorem esse? Unica explicatio, quae sententiae huius loci convenit, ea esse videtur: adhuc nescis, te esse Jovis uxorem, ego Venus dea te hoc doceo, mitte igitur singultus, qui magnae tuae fortunae non jam conveniunt.

Cum Horatii versibus juvat conferre quos nondum appositos miror: O. F. III, 507:

Dixerat; audibat jam dudum verba querentis
Liber ut a tergo forte secutus erat. O. A. I, 6, 11:
Risit ut audirem tenera cum matre Cupido.
Pone metum: Bacchi, Gnosias, uxor eris. O. A. A. I, 556
Parsque tuum terrae tertia nomen habet. O. F. V, 618

Restant quinque vocabula et haec quidem difficillima.

Mirum tot homines doctissimos aequo animo tulisse interpretationem istam: *Sectus orbis est pro dissecto orbe i. e. tertia parte orbis.* Usque ad hunc diem unus Peerlkamp hoc minime latinum esse confiteri ausus est. Tot catervae interpretum non viderunt simplicissimum illud *sectum* esse substantivum quartae declinationis et significare partem, et *orbis* non esse casum nominativum sed genetivum.

Quo jure Horatius solus his vocabulis utitur: *absto adlaboro beluosus circumgemere cubital Daunias delitigare depugis diffingere disconvenit emirari exultim faustitas forsit inaestuare inaudax incogitare incastigatus inemori inlacrimabilis inmersabilis inmetatus inominatus inpariter inpermissus inruptus insolabiliter invideor iambea iuvenari morata perditur praecanum prodocere redonare rusticius scurror singultim socialiter temptator vatillum vepallidum arbitra dilator aesculetum incuratus ingustatus inmemoratus inmiserabilis inmodulatus inrevocatus abnormis circumvagus postgeniti tauriformis ampullari graecari adsuere conscire depraeliari denatare disquirere elatrare emetere inamaresco intercinere oppedere permingere praeteragere recalcitrare subsuere*[74]):

Ut inveniuntur apud solum Lucretium: *auxiliatus conlectus linctus mactatu conciliatu conmutatus coortus adhaesus refutatu disjectus ejectus obortus*, apud solum Propertium: *adsessu*, apud

solum Vergilium: *adsultus*, apud solum Ovidium: *erratus narratus jactatus medicatus*, apud solum Tacitum: *adnexus advectus aemulatus centurionatus escensus indutus provisus relatus repetitus subvectus*[75]):

Qua significatione *accentus amictus apparatus auditus cantus census cinctus coetus conceptus consessus conventus cultus delectus ductus equitatus exercitus fetus flexus fluctus fructus gestus gradus habitus halitus haustus hiatus ictus introitus luxus motus objectus odoratus ornatus* innumera alia — et verbi actionem et id quod per hanc actionem efficitur significant: eodem jure et eadem significatione Horatius et primus et solus vocabulo *sectus* usus est pro sectione, exsecta parte.

Ad ultimum versum Peerlkamp haec adscripsit: *Deinde h. l. non laudandus est pluralis nomina pro nomen neque ducet tua nomina pro sua a te ducit. Romani loquuntur: ducit nomen ab aliquo i. e. a nomine alicuius vocatur. Non reperiri puto nomen ducit alicuius pro gerit.* Prius non recte dixit, multis in locis nomina pro nomine invenies[76]). Posterius non falsum est; rarissime invenitur ducere nomen alicuius, saepius ducere nomen ab aliquo; inveni ego quidem unicum exemplum Ov. M. XV, 57 *et nomen tumulati traxit in urbem.* At ut verum fatear causam cur ita dicere non liceat non video.

En habes carmen spero emendatum:

Impios parrae recinentis omen
Ducat et praegnans canis aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
Fetaque volpes.
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix ubicumque mavis
Et memor nostri, Galatea, vivas
Teque nec laevus vetet ire picus
Nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
Peccet Iapyx.

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus et scatentem
Beluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae nymphis opifex coronae
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.
Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten „Pater, o relictum
Filiae nomen pietasque“ dixit
„Victa furore.
Impudens liqui patrios penates,
Impudens Orcum moror. O deorum
Si quis haec audis, speciosa quaero
Pascere tigres.
Vilis Europe! pater urguet absens!
Quid mori cessas? age te procellae
Crede veloci, nisi erile mavis
Carpere pensum
Regius sanguis dominaeque tradi
Barbarae pelex.“ Aderat querenti
Perfidum ridens Venus et remisso
Filius arcu.
„Uxor invicti Jovis esse nescis:
Mitte singultus; bene ferre magnam
Disce fortunam; tua sectus orbis
Nomina ducet.“

Totius autem carminis sententiam consiliumque Horatii sic breviter complector:

Impiorum iter inauspicatae aves refragentur; tibi, Galatea, quae Adriatici transnavigandi propositum cepisti, faustae beataeque addicent. Ego quidem, quamquam caelum serenum ventumque secundum flare video, quia novi quam celeriter hoc anni tempore fallaci Hadriatico mari vehemens procella exoriatur, metuo ne tempestatis bonae blanditiis et mendaciis inducta audacius susceperis hoc iter. Sic et Europa fallaci tauri formosi mansuetudine decepta sero monstri tergi conscendendi audaciam questa est, postquam per undas se in Cretam delatam vidit, ubi Jove auctore summa eius calamitas conversa est in felicitatem maximam, postquam se esse Jovis uxorem audivit. Sic, Galatea, spero et confido, quod mihi videtur audacius susceptum Jove optumo maxumo adjuvante felicissimum fore ut habeat eventum.


COROLLARIUM.

Quae supra (p. 14) paucis verbis comprehendi, hic paullo uberius exponere mihi liceat, demonstraturo augures et Etruscos et Romanos in auspiciis capiendis semper contra meridiem se vertentes regiones templi terminasse.

Varro de ling. lat. VII, 6: *Templum tribus modis dicitur ab natura ab auspicando ab similitudine.*[1] *Natura in caelo, ab auspiciis in terra, ab similitudine sub terra.* — 7. *Quaqua intuitus erat oculi a tuendo primum templum dictum.* — *Eius templi partes quattuor dicuntur, sinistra ab oriente, dextera ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem.*

Pauli exc. ex Festo p. 220: *Posticum ostium dicitur in posteriore parte aedium. Ceterum antiqui etiam vicinum habitantem ad posteriorem partem aedium sic appellarunt. Denique et quae ante nos sunt antica et quae post nos sunt postica dicuntur, et dexteram anticam [et posticam], et sinistram [anticam et] posticam dicimus. Sic etiam ea caeli pars quae sole illustratur ad meridiem antica nominatur, quae ad septentrionem postica; rursumque dividuntur in duas partes orientem et occidentem.*

Quae cancellis inclusi certa ut opinor et apud Paulum facillima conjectura adjeci, cum verba ut apud illum legebantur intellegi nequirent. Nunc omnia perspicua; ipse Festus dicit et anticam partem et posticam in duas utramque partes divisam esse, scilicet in sinistram et dextram, ut quattuor regionum suum quaeque habeat nomen: prima regio nominabatur *sinistra-postica*, altera *sinistra-antica*, tertia *dextra-antica*, quarta *dextra-postica*.



Festi fragm. p. 233: *Posticam lineam in agris dividendis Servius Sulpicius appellavit ab exori[ente sole ad occasum spectantem]*. Postica linea, ut apparet, ea est nominata, quae agrum vel templum dividit in anticam et posticam partem, et potius postica quam antica, quia is, qui in grumae loco (ubi cardo decumano secatur) stat in meridiem prospiciens, hanc ipsam lineam videre non potest, ita ut quae ad eius dextram et sinistram sita est post eum esse ipsi videatur. Hunc quoque locum non recte explicarunt homines docti.

Festi fragm. p. 339: *Sinistrae aves sinistrumque est ut sinistimum auspicium i. e. quod sinat fieri. Varro l. V. epistolicarum quaestionum ait: A deorum sede cum in meridiem spectes ad sinistram sunt mundi partes exorientes, ad dextram occidentes, factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia quam dextra esse existimentur.*

His certissimis testimoniis, quae idem docent, augurem meridiem versus spectasse, alia adjici possunt.

Plin. II, 54, 142: *Laeva (fulmina) prospera existimantur, quoniam laeva parte mundi ortus est.* 143: *In sedecim partes caelum in eo respectu divisere Tusci. Prima est a septentrionibus ad aequinoctialem exortum, secunda ad meridiem, tertia ad aequinoctialem occasum, quarta obtinet quod est reliquom ab occasu ad septentriones. Has iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras; ex his maxume dirae quae septentrionem ab occasu attingunt.* Cf. Cic. de div. II, 18, 42.

Patet Plinium antiquo et quidem optimo rerum auguralium scriptore usum esse.

Eodem modo Brutus apud Attium somnians meridiem versus spectat ex augurum more, ut est apud Ciceronem (de div. I, 22, 44), ubi prodigium describitur, solem nocturno tempore ex oriente ortum esse (cf. §. 97).

Cic. de div. I, 31: *itaque sue inventa (Attius Navius augur) ad meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse cumque in quattuor partes vineam divisisset trisque partes aves abdixissent, quarta parte quae erat reliqua in regione distributa, mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit.* Ubi vides et Navium in discribendo templo et illum, apud quem Cicero haec scripta invenit, augurum morem observasse, meridiemque versus se convertisse. Cf. Dionys. antiq. Rom. III, 70 p. 588. R. Liv. I, 10: *(Numa) deductus in arcem in lapide ad meridiem versus consedit.* (Reliqua infra adscribam.) Plut. Num. 7: Ἐνταῦθα δὲ τῶν μάντεων ὁ πρωτεύων τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παραστὰς ἐξόπισθεν καὶ τῇ δεξιᾷ τῆς κεφαλῆς ἐφαπτόμενος, αὐτοῦ κατεύξατο καὶ περιεσκόπει τὰ παρὰ τῶν θεῶν ἐν οἰωνοῖς ἢ συμβόλοις προφαινόμενα πανταχόσε τὰς ὄψεις περιφέρων κτλ. Statius Theb. III, 459 sqq. arte augurali peritum se esse quovis versu ostendit, et is quoque meridiem versus spectat.

Ciceronis temporibus eundem morem servatum esse ostendit primum, quod tota auguriorum scientia ex Etruria fluxit (cf. Cic. de div. I, 41, 92, qui locus difficillimus sic scribendus est: — *decrevit, ut de principum filiis sex [singuli] singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur*, et de filiis Romanis in Etruriam mittendis cogitandum), et demonstrat ut opinor quod Cicero de huius moris mutatione quadam nihil dicit. Apud Ciceronem autem, qui tale quid in libris de divinatione conscriptis certissime commemorasset, gravissimum indicium et argumentum est silentium.

Ex his omnibus manifestum est errare Frontinum p. 27 Lachm. eumque suam esse secutum scientiam gromaticam, si dicit: *Limitum prima origo sicut Varro descripsit a disciplina*


Etrusca, quod aruspices orbem terrarum in duas partes diviserunt, dextram appellaverunt, quae septentrioni subjaceret, sinistram quae ad meridianum terrae esset, ab oriente ad occasum, quod eo sol et luna spectaret, sicut quidam architecti delubra in occidentem recte spectare scripserunt. Aruspices altera linea ad septentrionem a meridiano diviserunt terram, et a media ultra antica citra postica nominaverunt. Frontinum exscripsit Hyginus de limit. const. p. 166 L.

In eandem regionem i. e. in meridiem se vertisse antiquo tempore castrorum agrorumque metatores, quae ad negotia initio semper augur adhibebatur, demonstravit O. Müller, Etrusker II p. 151 sqq., cuius argumentis tria adjicio.

Cum constet primum strigam in longitudine a septentrione ad meridiem, in latitudine ab oriente ad occidentem conversam esse, tum viam praetoriam strigam fuisse sexaginta pedum latitudine, apparet portam praetoriam aut septentrionem versus aut, quod aliis ex causis verisimillimum, in meridiem spectasse (non autem, ut multi volunt, in orientem vel in occidentem), quam dispositionem rectam et veram esse docemur quoque eo modo, quo praetorium et auguratorium disposita sunt. Hygin. p. 110, 2: *Strigatus ager qui a septentrione in longitudinem in meridianum decurrit, scamnatus qui eo modo ab occidente in orientem crescit.* Rudorff gromat. instit. p. 291: *die striga ist ein streifen von halber centurienbreite, also 60 fuss —, welcher in der richtung von der porta praetoria nach der decumana, also regelmässig von Norden nach Süden läuft.* Ibiq. not. Id. p. 419: *länge ist nach Frontin die richtung des Cardo von Norden nach Süden; die in dieser richtung laufenden streifen heissen strigae, das so gestreifte gebiet ager strigatus.* Cf. Hygin. de castror. munit. §. 1. p. 65 Lange.

Degrumatores in agris metandis ut ad meridiem se verterent natura ipsa cogebantur, cum aliter accurate regiones terminare non possent. Hygin. de limit. const. p. 182: *multi ita ut supra diximus solis ortum et occasum comprehenderunt, qui est omni tempore mobilis nec potest secundum cursum suum comprehendi, quoniam ortus et occasus signa locorum natura varie ostenduntur.* p. 188, 13: *Optimum est ergo umbram hora sexta deprehendere et ab ea limites incohare ut sint semper meridiano ordinati: sequitur deinde ut et orientis occidentisque linea huic normaliter conveniat.* Plin. XVIII, 34, 331: *Diximus ut in media linea (cardinis) designaretur umbilicus, per hunc medium transversa currat alia: haec erit ab exortu aequinoctiali ad occasum aequinoctialem et limes qui ita secabit agrum Decumanus vocabitur.* — 333: *Meridiem excuti placet, quoniam semper idem est; sol autem cotidie ex alio caeli momento quam pridie oritur, ne quis forte ad exortum capiendum lineam putet.*

Tertiam causam praebet locus ex Libro coloniarum p. 225 L.: *Ager Anconitanus ea lege qua et ager Florentinus est assignatus limitibus Augusteis [sive K. et D. vel maritimos aut montanos]. Limites ab oriente ad occidentem qui in groma sunt designati antiqua lege diagonales-diametrales appellantur, de meridie in septentrionem qui circulum secat verticalis-diagonalis appellatur. Nam quaedam pars Tusciae his limitibus et nominibus ab Hetruscorum aruspicum doctrina vel maiorum designatione nuncupantur.*



Quae uncis inclusi, ut a glossatore ad marginem adscripta, delenda sunt; sic autem locus corruptus (Rudorff p. 337) optimum praebet sensum; nam si puncta illa, ubi cardo et decumanus limes lineam circulum circumcurrentem secant, quattuor rectis lineis conjungis, vides limites illos esse quadrati diagonales. Cum autem cardo (i. e. linea quae a septentrione ad meridiem decurrit) diagonalis verticalis nominetur, apparet eos, qui his nominibus uterentur, in meridiem (vel in septentrionem) spectasse, non in occidentem vel in orientem.

His tribus argumentis, cum primum striga castri directionem determinet, deinde natura ipsa ad meridiem versus spectandum invitet et cogat, tertium vocabulis *diametralis* et *verticalis*, quae a Tuscis originem cepisse docemur, idem mos indicetur, demonstrari mihi videtur, antiquo tempore et agrorum et castrorum metatores et quia illi numquam non augures erant etiam augures in auspicando meridiem versus spectantes regiones terminasse. Posteriore tempore notum est gromaticos se ad

occidentem, exercituum duces portam praetoriam ad hostes vertisse.

Quod de castris portarumque situ dixi, contra Rudorff gromat. instit. p. 343. 347. Lange in ed. sua Hygini de castr. mun. p. 151 sqq. Klenze, phil. abhandl. p. 136 sqq. 144. O. Müller, Etrusker p. 150 disputavi. Ego credo portam decumanam antiquo tempore septentrionem versus spectasse, nec a decumano limite nomen duxisse (cf. Lipsius de militia Romana V, 5. Paulus exc. ex Festo p. 71 ibiq. M.), moremque illum, secundum quem malefici per portam decumanam ad supplicium deducerentur, aut tum demum receptum esse, postquam conversio illa facta est, aut inde originem cepisse, quod antiquis temporibus, ubi diis summis humanis hostiis litabatur, per portam decumanam, quae in Septentrionem, deorum sedem, spectabat, deducerentur hostes capti, servi emti, malefici, ut immolarentur.

Locos, qui sinistrum latus sinistrasque mundi partes laetas auspicatasque fuisse demonstrant indicasse satis habeo: Cic. de div. I, 29; 45; II, 74. Serv. ad Aen. 9, 631. 2, 693. Varro L. L. VII, 97. Festus p. 351. Nonius p. 36. Plut. qu. Rom. 78. Dionys. ant. Rom. I, 86. II, 5. Arnobius c. gentes IV, 5.

Accedo ad eos locos, qui sinistram mundi partem septentrioni adjudicant, quibus Grimm, gesch. d. deutschen sprache, Lpzg. 1848. c. XL. p. 980 sqq. Rudorff, grom. inst. p. 345 multi alii permoti sunt, ut augurem Romanum orientem versus spectantem regiones terminasse injuria crederent.

Magna auctoritate vigebat locus apud Livium (I, 18), cuius vim primum infringam; ille ita narrat: *accitus (Numa), sicut Romulus augurato urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque consuli jussit. Inde ab augure, cui deinde honoris ergo publicum id perpetuumque negotium fuit, deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit; augur ad laevam eius capite velato sedem cepit dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens quem lituum appellarunt. Inde ubi prospectu in urbem agrumque capto deos precatus regiones ab oriente ad occasum determinavit, laevas ad septentrionem esse dixit, signum contra quoad longissime conspectum oculi ferebant animo finivit; tum lituo in laevam manum translato dextra in caput Numae inposita*

precatus ita est: Juppiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, regem Romae esse, uti tu signa nobis certa adclarassis inter eos fines quos feci. Tum peregit verbis auspicia quae mitti vellet, quibus missis declaratus rex Numa de templo descendit.

Primum ridiculum est, augurem velato capite ad laevam Numae sedisse, nihilo minus prospectum cepisse, regiones discripsisse, auspicia observasse; quivis videt Numae, non auguris, caput velatum fuisse, Numam, non augurem, sedisse. Errat Livius, si dicit augurem et ante regionum terminationem et post eam precatum esse, totum augurationis ordinem invertens; primum regiones terminantur, tum capitur templum, quod vocabulum ab eo non commemoratum miramur, tum preces funduntur. Non accurate dicta sunt verba: *quoad conspectum oculi ferebant animo finivit*, pro quibus secundum artem dicendum erat: *signa quibus templum in sinistrum dextrumque finitum voluit animo indicavit.* Verba: *tum peregit verbis auspicia quae mitti vellet* superflua sunt, ea vixdum attulit. Dicere debuit: *peractis verbis auspiciis missisque quae mitti vellet Numa rex declaratus ex templo se sustulit* (cf. Serv. ad A. II, 699) *et de arce descendit.*

Quomodo Livius ad haec mira pervenerit facile est dictu; pro certo enim teneo Livium haec ex scriptore quodam graeco in latinum sermonem vertisse et neglegentissime quidem; inde omnes errores facillime possunt explicari. Si modo conferes Livii verba cum Plut. Num. l. c. hoc rectum esse intelleges. Hinc etiam perfectum tempus: appellarunt, hinc illud *contra* (δέ), alia. Quaerentibus quisnam is sit Jubam II nomino, quem graece de antiquitatibus Romanis scripsisse scimus, ex eodemque fonte Dionysium Plutarchum Servium Frontinum (cuius verba componas cum Livii narratione et cum Dionys. III, 70 p. 588) scientiam artis auguralis hausisse ego quidem credo. Similitudinem verborum Livii cum verbis Plutarchi comparando videbis. Plut. ῥωμ οή. Διὰ τί τῶν οἰωνῶν ὁ καλούμενος ἀριcτερὸc αἴcιοc; Πότερον — ἢ μᾶλλον ὥc Ἰόβαc φηcὶ τοῖc πρὸc τὰc ἀνατολὰc ἀποβλέπουcιν ἐν ἀριcτερᾷ γίνεται τὸ βορεῖον; ὃ δὴ τοῦ κόcμου δεξιὸν ἔνιοι τίθενται καὶ καθυπέρτερον. Dionys. ant. Rom. II. 4. p. 246: τοῖc δὲ πρὸc ἀνατολὰc βλέπουcιν ἀριcτερὰ μὲν γίνονται πρὸc τὴν ἄρκτον ἐπιcτρέφοντα μέρη. δεξιὰ δὲ πρὸc

μεϲημβρίαν φέροντα· τιμιώτερα δὲ τὰ πρῶτα πέφυκε τῶν ὑϲτέρων. Servius ad Aen. II, 693: *Sinistrum autem a sinendo dictum, quantum ad auguria pertinet: eo quod nos agere aliquid sinat* (cf. Plut. l. c. τὸ γὰρ ἀριϲτερὸν ϲίνιϲτρον ὀνομάζουϲιν· τὸ δὲ ἀφεῖναι Cίνερε καὶ Cίνε λέγουϲιν ὅταν ἀφεῖναι παρακαλῶϲι.) *Sinistras autem partes septentrionales esse augurum disciplina consentit et ideo ex ipsa parte significantiora esse fulmina, quoniam altiora et viciniora domicilio Jovis* (cf. Plut. l. c. Dionys. l. c.). *Quae enim nobis laeva sunt (caelestibus) dextra sunt* (Plut. l. c. Ἦ καὶ ἐπίγεια καὶ θνητὰ τοῖϲ οὐρανίοιϲ καὶ θείοιϲ ἀντικεῖϲθαι νομίζοντεϲ, ᾤοντο τὰ πρὸϲ ἡμᾶϲ ἀριϲτερὰ τοὺϲ θεοὺϲ ἀπὸ τῶν δεξιῶν προπέμπειν).

Cum igitur tam multis tam antiquis ideoque tanta auctoritate valentibus testimoniis unus idemque omnium rivulorum fons et auctor, sive Juba ut credo sive alius quidam homo graece et cogitans et scribens opponatur, vides auctoritatem horum locorum valde decrescere. Paucis tamen dicam, quam facile ille (sive sint plures) ad errorem induci potuerit.

In *legum dictione* (qua augurationis ratione utebantur etiam in regibus consulibusque designatis inaugurandis, cf. Müller Etrusker II, p. 128) postquam augur in meridiem spectans lituo regiones terminavit precibusque effatis ab oriente aves addicentes optavit, eis regionibus, quae ad occasum spectabant, neglectis, eas solum perscrutabatur, unde aves advolare precabatur i. e. in orientem. Hac faciei conversione aves exspectantis, non quidem regiones terminantis, ad errorem induci poterant neglegentiores.

Altera erroris causa in ipso verbo *sinistro* inest, quo Romani saepe utebantur pro felici, ita ut etiam eae aves et bestiae, quae ad dextram apparentes faustae erant, *sinistrae* appellarentur; et cum omnes fere aves a septentrione ad ortum volantes faustae essent, igitur ob felicitatem suam sinistrae vocarentur, facile decipi poterant, qui antiquam vocabuli significationem neglegerent, ut septentrionem ut felicem i. e. sinistimum i. e. sinistrum ad laevam auguris manum situm esse putarent. Cf. Cic. de div. I. §. 29. II. §. 82. Plut. l. c. παρακρούεται πολλοὺϲ ἡ διάλεκτοϲ.

At extra causam nimis fortasse multa jam exposui de re,

quae quidem permultis hominibus doctissimis difficillima et quae vix ad liquidum perduci posset visa est.

Quod probare studui sic comprehendo: Et apud Etruscos et apud Romanos ab initio regni usque ad imperatorum tempus augures in meridiem spectantes caeli templique regiones discripsisse et terminavisse, ut septentrio postice, oriens ad sinistram, occidens ad dextram manum sita esset, neque umquam aliter templum eos cepisse.

ADNOTATIO.

---

1) Home, el. crit. I, 1, p. 34.

2) Lehrs, N. Jahrb. 89, p. 179.

3) Schwenck, rh. Mus. N. F. XV, 1860 p. 247.

4) Riese, N. Jahrb. 93, 1866 p. 471. anm.

5) L. Müller, N. Jahrb. 87, p. 178. 179.

6) Hic indicabo Gruppe (Minos p. 98) Peerlkampio adsentire, qui stropham alteram, tertiam, nonam usque ad undevigesimam ejicit. Franke in Scidis Horatianis, Weilburgi 1866, v. 1—10. 15—24. $^1/_2$34 *[Pater, o — virginum culpae]* —$^1/_2$38, 41—49, $^1/_2$51—$^1/_2$55 *[utinam — praedae]*, $^1/_2$58—$^1/_2$62 *[Potes — delectant]*, $^1/_2$70—$^1/_2$74 *[calidae — singultus]* interpositos esse censet, in servatis versibus his conjecturis usus: v. 14. *immemor.* v. 31. *nihil atra praeter.* v. 57. *Vivis Europe?* v. 62. *age te revelle rete fallaci.* v. 75. *tractus.* Hos viros hic nominasse satis habeo, quia neuter emendationes suas rationibus argumentisque firmavit.

7) Düntzer, krit. und erklärung der oden des Horaz, Braunschweig 1840, p. 149 sqq. Lübker, Comm. zu den Oden des Hor. 1841, p. 512 sqq.

8) *Rodeille meint, der dichter gäbe hier den mädchen eine moralische lection, nicht leichtsinnig ihr väterliches haus zu verlassen.* Düntzeri verba sunt, l. c., qui suam sententiam hoc modo exponit: *die idee des gedichtes: leidenschaft macht ungerecht und führt zum verderben, bringt streit und zwietracht hervor, während ein leidenschaftsloser sinn erkennt, dass der gegenstand des hasses und der entzweiung ein nichtiger ist.*

Sanadon: *Horace s'étend ensuite sur l'histoire d'Europe, pour lui donner à entendre qu'il ne convient point aux dames de passer les mers, que l'aventure de cette princesse pourrait bien lui arriver et qu'en ce cas il lui conseille de ne point prendre les sentiments de desespoir d'Europe, qui se désolait mal à propos d'un accident qui la faisait maîtresse du souverain des dieux.*

Franke l. c.: *Horatius Galateae exponit, quam acerba sors eas manere soleat virgines, quae quid vere beatum sit nescientes ceteris omnibus rebus posthabitis, id quod Phoenissarum moribus consentaneum fuisse videtur, nihil nisi magnam fortunam i. e. splendidam rerum amplitudinem nominisque famam dementer sectentur.*

9) Sanadon, errore quodam inductus, putat Laeliam Gallam desi-

gnari, Posthumium maritum, in orientem cum imperatore profectum, paullum post secutam.

Nitzsch (secundum Düntzerum l. c.): sub Galateae nomine Horatius hortatur Octaviam a. 718, ut iter in Orientem propositum audaci animo ingrediatur.

A. Schulze (secundum Lübkerum l. c.) *in seinem programm über veranlassung von od. III, 3. p. 5—7 nimmt in III, 27 das beispiel der Europa als warnungsmittel für die Galatea; in der uxor invicti Iovis liegt eine anspielung auf August in dieser weise: Galatea von August entführt oder durch schmeichelnde lockungen nach Rom gebracht, sehnt sich bald wieder in die heimat zurück; von solchem vorhaben soll gegenwärtige ode sie zurückhalten.*

Dauber, muthmassungen über Hor. oden und epoden, Holzminden, p. 27: III, 27 *wendet sich an die braut eines jungen freundes, Galatea, die wie es scheint im begriff war, nach Creta zu reisen, um dort, wo dienstpflicht den bräutigam fesseln mochte, hochzeit zu machen.*

Ritter: *Galatea, a lacteis brachiis cerviceque candida nominata, olim Horatio cara, jam virum divitem in itinere comitari voluit. Iter illud aut in Cretam insulam dirigebatur aut a viro e familia Taurorum orto suscipiebatur. Alterum ut conjiciam faciunt verba: sic et Europa niveum doloso credidit tauro latus (ut tu Taurum sequi animum induxisti).*

Quam mira excogitari possint, docet Rührmund (Mützell Z. f. G. IX. 1855. p. 607 sqq.): — *Mit schwerem herzen, aber mit den besten wünschen für das künftige wohl seiner freundin, nimmt Horaz von ihr abschied. — Wer der vornehme herr war, in dessen besitz das junge mädchen gekommen, sagt der dichter nicht, jedoch aus der richtung der reise — lässt sich vermuthen, dass es ein angesehener staatsbeamte war. — Die pointe des ganzen gedichtes liegt in den anfangsworten Impios und in v. 73 uxor invicti Jovis esse nescis. Nun war es freilich im allgemeinen eine impietät dass man mit schiffen das meer befuhr — und wenn auch Galatea, wie Europa, bei der göttin der liebe entschuldigung und trost fand und ihr liebhaber den grössten theil der schuld trug, so konnte die jungfrau doch von dem vorwurf der impietät nicht freigesprochen werden; ihre ehe war nicht legitim. — Wie gross jedoch die schuld sei, welche Galatea mit ihrem geliebten verübt zu haben sich bewust war oder zu üben im begriff stand, das blieb dem gewissen beider überlassen. Der dichter beginnt als ein heiliger seher und im namen der götter sein lied also: Impios — ab ortu, — welchen worten der allgemeine gedanke zu grunde liegt: Dem reinen ist alles rein und der fromme hat keine gefahr, woher sie auch komme, zu fürchten; dem bösen gewissen aber erscheint alles, was an die böse that irgendwie erinnert, als strafe und göttliche schickung; ihm schweben immerdar die bilder seiner missethat vor augen und wie der mörder immerfort den gegenstand seines mordes vor sich sieht, so werden auch die ehebrecher (!) beim anblick trächtiger thiere (!) und durch das gekrächz unreines (!) witternder vögel an ihr vergehen gemahnt.* Ceterum ipse librum adeas, si reliqua desideras.

Struve opuscul. (Lips. 1854) II. p. 379: *Horaz wünscht der Galatea zu einer seefahrt glückliche reise, wünscht, dass keine bösen vorbedeutungen ihren weg unterbrechen mögen, warnt sie aber durch den anschein von heiterkeit und ruhe des wetters sich nicht täuschen zu lassen; denn der äussere schein trüge oft, wie beispiele lehrten, unter anderen das der Europa.*

10) Zeune: *Verum si quis locum 66—71 malit ad vim argumenti referre quam ad exornationem narrationis et laudes Europae: is mea sententia rectius consilium totum carminis ponet in eo, ut poeta Galateam timidiorem et dubitantem ad audacter navigandum hortetur. Rem viris doctis judicandam relinquo.*

11) Vanderbourg (ed. Par. 1813) II. p. 364: *Après Sanadon, l'abbé Galiani est le premier qui ait abandonné l' hypothèse commune et qui ait conclu de l'exemple d'Europe qu' Horace encourageait sa Galathée à voyager. Il soutient son opinion plus ingenieusement que le Jésuite; il suppose que la strophe cinquième „sed vides" — n'est point dite par le poëte, que c'est au contraire une objection que lui fait Galathée.*

12) Janius (ed. Lips. 1782): *Oportet ut hoc unum opponam Perraultiano acumini, graviter brutam stultamque fuisse puellam, quae ne ob exitum carminis procellis Hadriae ad deum aliquem amatorem delatum iri orbisque parti nomen daturam esse crederet verendum fuisset aut contra quae talis fortunae timore Romae mansisset nec potuisset discernere quae ad solam exornationem carminis pertinerent.*

13) V. Fl. I, 3: (Argo) *Scythici quae Phasidos orae*
Ausa sequi mediosque inter juga concita cursus
Rumpere —

O. F. II, 194: *hic ubi discretas insula rumpit aquas.*

Sil. XI, 135: — — — *ingentia facta*
Sidonii juvenis celebrant, ut ruperit Alpes
Herculei socius decoris divisque propinquas
Transierit cursu rupes.

V. Fl. I, 463: — (Lynceus) *possit qui rumpere terras*
Et Styga transmisso tacitam deprendere visu.

V. A. II, 494: *fit via vi: rumpunt aditus.*

V. A. XII, 680: *Perque hostes per tela ruit* (Turnus) *maestamque sororem*
Deserit ac rapido cursu media agmina rumpit.

Pl. Amph. 1048*): *Certumst, intro rumpam in aedis.*

O. A. A. II, 54: *quem licet inventis aera rumpe meis.*

Sen. Med. 301 sq. *audax nimium qui freta primus*
Rate tam fragili perfida rupit.

Eodem modo comparati sunt versus:

Sil. IV, 196: *si reserare viam atque ad regem rumpere ferro*
Detur iter, cf. IV, 519. V. A. X, 372.

---

*) Terentium Plautum secundum Fleckeiseni editionem Teubn. Senecam sec. R. Peiperi et G. Richteri Lips. Teubn. 1867.

Sil. XV, 779: *Audito ante alios senioris vulnere rumpit*
Per medios Nero saevus iter, cf. St. Th. VIII, 468.

Sil. I, 52: *Per clipeos galeasque virum caesosque per artus*
Vix iter Hadriaci rumpentem ad litora ponti
(sc. vidi Aufidum). cf. V. Fl. III, 240.

Sen. Ph. frg. 69: *delapsa caelo stella cum stringens polum*
Rectam citatis ignibus rumpit viam.
cf. Liv. XXI, 28, 4.

14) O. M. XI, 598. Hor. ep. V, 85. V. Fl. VII, 222. V. A. XII, 697. Hor. ep. I, 3, 35. #. O. M. XV, 583. Sil. VIII, 215. Sen. P. 1110. Sen. Tr. 690. 949. Sen. M. 54. #. V. A. IV, 292. Calpurn. III, 57. O. R. A. 496. Sen. H. 79. S. H. 283. Meyer Anthol. n. 215. S. H. 570. Sen. T. 776. 179. Sen. Ph. frg. 649. Sil. VI, 510. VII, 33. O. T. I, 7, 13. 2, 552. O. Ib. 40. Ter. Eun. 550.

15) O. A. III, 6, 88: *quid coeptum rustice rumpis iter*, ubi fluvius Ovidium redire cogit.

O. A. A. I, 327: *non medium rupisset iter curruque retorto*
Auroram versis Phoebus adisset equis.

Hor. ep. 13, 15 (Trojâ) *unde tibi reditum* (Achilli) *certo subtemine Parcae*
Rupere nec mater caerula te revehet.

Quin et interrumpere semper significat in medio abrumpo. Pauca exempla legas apud Forcellinum.

16) O. A. A. II, 226 *curre nec inceptum turba moretur iter.*

O. M. II, 598 *nec coeptum dimittit iter.*

O. A. A. III, 360 *et coeptum saepe recurrit iter.*

Ter. Hecyrae 194. O. A. III, 6, 88. O. A. A. I, 329.

Defendi potest instituere iter his locis: Hor. III, 8, 11. V. A. VI, 70. Cic. Fam. 5, 12. 15, 5.

Aliter comparati sunt Hor. s. II, 6, 21. ep. II, 3, 22. Caes. B. G. V, 5. B. C. I, 83.

17) O. M. XII, 18 *At veri providus augur*
Thestorides, Vincemus, ait; gaudete Pelasgi.
cf. Stat. Th. III, 450. Cic. de div. II, 57, 117. de n. d. II, 65, 163. Liv. XXIII, 36, 1.

18) Quamquam non necessariam duxerim audaciorem Bentlei conjecturam O. F. I, 26:
Auspicio felix totus ut annus eat
ubi Germanicum Caesarem ut deum adloquitur Ovidius.

19) Cic. de div. I, 47, 105. II, 40, 87. d. nat. d. II, 3, 7. cf. Festi fragm. p. 246, 3. al.

20) Cic. de div. II, § 13. d. n. d. I, 20, 55. 44, 122. II, 4, 10.

21) Orelli rectissime notavit elisionem in v. 10. *divina avis*, cf. Naeke ad Catonem p. 325 et p. 320 sqq.; apud Horatium, hoc nostro loco excepto, IV, 11, 27 unice inter 560 versus caesura neglegitur, quae

neglegentia apud Horatium in formatione strophae sapphicae diligentissimum eo majorem dubitationem movet, quod apud accuratos poetas ea non invenitur, numquam apud Senecam Statium Ausonium Prudentium Boethium Apollinarem Sidonium, nec apud Sulpicium nec apud Phocam; semel apud Senecam (O. 490) in nomine proprio: *Thermodontiacae catervae* (O. 496. Ag. 627. corrupti sunt), tum in carmine spurio Horatii odarum libro primo adjecto (39, 3) et in carmine pessimo ad Alexandrum Magnum (Meyer n. 697. v. 7) invenitur.

22) cf. Plin. XVIII, 35, 361. O. A. II, 6, 34. O. M. XI, 746. VIII, 625. Claudian. b. Gild. 493 al.

23) adde Lucan. V, 566. Avien. 1703.

24) Serv. ad Aen. III, 374 — *quia auspicia maiora aut maioribus dicuntur, quibus augurium avium aliarumque rerum eripitur; ut puta si parra vel picus auspicium et deinde contrarium aquila dederit, auspicium aquilae praevalet. Ergo quia notum est esse apud augures auspiciorum gradus plures et augur loquitur auguriorum perita.*

Serv. ad V. E. 9, 13: *Nostra valent Lycida tela inter Martia quantum*
Chaonias dicunt aquila veniente columbas (cf. Prop. I, 10, 5).

Serv.: *Minora enim auguria maioribus cedunt nec ullarum sunt virium licet priora sint.* Cf. Serv. ad A. II, 693.

Hinc altera avis cf. Pauli exc. ex Festo p. 7. adde Serv. ad Aen. IV, 462.

Festi sched. p. 214: *Peremptalia fulgura Graecus ait vocari quae superiora fulgura aut portenta vi sua peremant. duobus modis prioribus tollendis aut maiore manubia ut tertia secundae secunda primae cedat; nam ut omnia omina superentur fulgure, sic ictum fulgur manubiis maioribus vinci.* cf. Festi sched. p. 129, 16 sqq. eiusd. fragm. p. 245, 22 sq.

25) Corvus in auspiciis maxima fruebatur auctoritate, cf. Plin. X, 12, 33. Petron. c. 122. Plut. Gracch. 17. Val. Max. I, 4, 2. Liv. VII, 26.

26) Cic. de div. I, § 12: *Quare omittat urguere Carneades quod faciebat etiam Panaetius requirens Juppiterne cornicem a laeva corvum a dextera canere jussisset; observata sunt haec tempore immenso et in significationem eventusque* (sic puto legendum cf. p. 515, 17) *animadversa et notata.*

Cic. de div. I, 85 *Quid enim habet haruspex cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus et proferat diem? quid augur cur a dextra corvus cur a sinistra cornix faciat ratum?*

Plaut. Asin. II, 1, 11: *Impetritum, inauguratumst; quovis admittunt aves*
Picus et cornix est ab laeva; corvus porro ab dextera.

Plaut. Aulul. IV, 2, 578: *Non temere est quod corvos cantat mihi nunc a laeva manu*
Simul radebat pedibus terram et voce crocibat fera sua, cf. 623.

Phaedr. III, 18, *augurium corvo, laeva cornici omina sc. data sunt*, cf. Plut. Gracch. 17.

27) Verba: *sis licet felix* cave ne interpreteris: quamvis infausta sint omina tamen felicem te esse exopto, quod absonum est quia talia

impiis execratus sit. exoptandi est formula. cf. Sen. H. 22. Sen. Ph. frg. 288. O. H. III, 81. 133. Lucr. III, 182. O. M. XIV, 322. XII, 199.

28) Accedit quod fere semper corvus oscen diri ominis est, ut omnes oscines. cf. Varro L. L. VI, 76. Festi sched. 197. Serv. ad Aen. IX, 631. Cic. de div. I, 120. Serv. ad A. IV, 462.

29) Dionys. Hal. antiq. Rom. II c. 5: ἐπειδὴ καθῆκεν ὁ χρόνος ἀναστὰς (Romulus) περὶ τὴν ὄρθρον ἐκ τῆς σκηνῆς προῆλθεν. στὰς δὲ ὑπαίθριος ἐν καθαρῷ χωρίῳ καὶ προθύσας ἃ νόμος ἦν, ηὔχετο Διΐ τε βασιλεῖ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς — 6. ἐπαυλίζονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνταί τινας εὐχὰς ὑπαίθριοι κτλ.

id. I, 86: ταξάμενος αὐτοῖς ἡμέραν ἐκέλευσεν ἐξ ἑωθινοῦ καθέζεσθαι χωρὶς ἀλλήλων, ἐν αἷς ἑκάτεροι ἀξιοῦσιν ἕδραις. προθύσαντας δὲ τοῖς θεοῖς ἱερὰ τὰ νομιζόμενα φυλάττειν οἰωνοὺς αἰσίους.

Ennius apud Cic. de div. I, 107:

Sic exspectabat populus atque ore timebat
Rebus utri magni victoria sit data regni.
Interea sol albus recessit in infera noctis
Exin candida se ex alto longe pulcherruma praepes
Laeva volavit avis. Simul aureus exoritur sol.
Cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
Avium praepetibus sese pulchrisque locis dant.

Festi fragm. p. 347: *Solida sella ait [Verrius, sedere tum quis] jubetur cum mane surg[ens auspicandi gratia evigi]lavit quod antiqui expresse [nulla plane inter]iore parte excava[tas ad auspiciorum usus fa]ciebant sedes.*

ibid. p. 348: *Silentio surgere ait] dici ubi qui post mediam [noctem auspi]candi causa ex lectulo suo si[lens surr]exit et liberatus a lecto in solido [se posuit se]detque ne quid eo tempore deiciat [cavens, donec] se in lectum reposuit: hoc enim est [proprie si]lentium, omnis vitii in auspiciis vacuitas. Veranius ait, non utique ex lecto, sed ex cubili, nec rursus se in lectum reponere necesse esse.*

ibid. p. 241: *itaque quo anno Romanos imprs [imperatores] ad exercitum mittere oporteret jussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio ab sole oriente auspicis operam dare solitos.*

Bulengeri verba in Graevii thesauro V. p. 409: *Oscines sinistrae inauspicatae erant, nisi mane crocitarent ut Servius ad IV. Aeneid. Augurium corvo laeva cornici omina. Sidon. Apollin. ep. 2. lib. 2: Oscines corvos voce triplicata puniceam surgentis aurorae facem consalutantes e. q. s.* (affert deinde Acronem ad nostrum locum et Vergil. lib. I. Georg.) — fecerunt, ut celeriter Servium perscrutarer, et ad A. IV, 462 (ed. Lion p. 293) haec inveni: *Ferali carmine, bene hoc addidit. Non enim omni modo malum est bubonis omen (sed cum cantat). Cantus autem eius [omni modo malum est, quia] aut fletum imitatur aut gemitum: tacens [autem] ostendit felicitatem. Omnes enim aves oscines malae, praepetes oscines bonae sunt: vel e contra, malae praepetes, oscines bonae sunt.* Locus conclamatus ita

opinor explicari potest: omnes oscines si canunt malae sunt; si praepetes sunt i. e. advolant, volatu omen praebent, bonae sunt. Et e contrario: omnes praepetes bonae sunt (cf. Serv. ad A. III. 361), si autem oscines sunt i. e. cantu omen praebent, malae sunt; quae autem praepetes volatu mali sunt ominis, eae si canunt bonae erunt.

Vides autem de mane crocitantibus avibus neque hic quidquam inesse, nec in toto quarto libro adnotationis suae.

Cum perscrutarer unde haec desumpsisset Bulengerus, tandem fontem scientiae eius inveni. Descripsit ille verba sua neglegentissime ex commentario, quem ad Sidonii epistolas confecit Io. Savaro Claromontensis, qui in editione altera (Paris. 1609) p. 120 haec habet: Oscines corvos] *Oscines sunt quae ore faciunt augurium et inter oscines numeratur corvus ab Appio Claudio et Festo Grammatico* [Varro L. L. VI, 76— Hinc oscines dicuntur apud augures quae ore faciunt auspicium. Festi sched. p. 197 M: Oscines aves Ap. Claudianus (M: Claudius) esse ait, quae ore canentes faciant auspicium, ut corvos cornix noctua, aut (M: aliter) quae alis ac volatu, ut buteo sanqualis aquila immissulus vulturius. picam aut (M: picus autem) Martius Feroniusque et parra et in oscinibus et in alitibus habentur.] *Phaedrus lib. III* [18, 12]:

Augurium corvo, laeva cornici omina. Oscines autem sinistra praedicunt et malae sunt. Serv. Aeneid. 4. Nisi mane crocitent. Docte ergo Sidonius puniceam aurorae faciem consalutantes dixit, ut malum omen averteret prosperumque signaret augurium. Tum Savaro Hor. III, 27 ibique Acronem, denique Vergilii Georg. I affert.

Unde Savaro quae tam confidenter dixit duxerit invenire nequivi; rem tamen ipsam, corvum mane crocitantem boni ominis fuisse, rectam esse credo. Scimus enim corvum Apollini, solis deo, sacratum fuisse, Ovidii (Met. V, 329) Ciceronis et Petronii verba supra adscripsi; adde Aelianum hist. anim. I, 48. Plut. de Is. et Os. p. 379. Porphyr. d. abstin. 3, 5. p. 226, quae citat Kopp. Idem comprobant verba in *Appuleji Florid. IV. n. 23.* p. 110 Oudend., ubi in fabula illa *Corvus ut se vocalem probaret quod solum deesse tantae eius formae volpes simulaverat, crocire adorsus praedae quam ore gestabat inductricem compotivit*, volpes dicit: *nam de colore quid dicam? nam cum duo colores praestabiles forent piceus et niveus quibus inter se nox cum die differunt, utrumque colorem Apollo suis alitibus condonavit: candidum olori nigrum corvo.*

Eustathius (ad Δ 101. p. 449): ὁ κύκνος ἱεροῦται Ἀπόλλωνι ὡς ἡλίῳ διὰ τὴν λευκότητα καὶ ὁ κόραξ διὰ τὴν νυκτερίνην μελανίαν.

Martian. Capell. lib. IX. § 894. p. 695 Kopp. *Denique in argumentum praescientiae mihi corvus alludit, cygnus etiam sociatur, ut diei noctisque proventus nos avibus praesentire concolor temporum pluma testetur.*

Ut igitur apud Persas equus, qui solis deo sacratus est, soli exorienti adhinniens faustum praebet omen (Her. III, 84. cf. I, 131. VII, 54), sic, ut cygnus appropinquante nocte diei discessum, corvus abeunte nocte solem exorientem cantu celebrans boni est ominis.

O. A. I, 13, 7: *nunc etiam somni pingues, nunc frigidus humor*
Et liquidum tenui gutture cantat avis.
Quo properas, ingrata viris, ingrata puellis?
Roscida purpurea supprime lora manu.

30) V. E. IX, 63: *aut si nox pluviam ne colligat ante veremur* ibiq. Serv.: *Aer enim aut cum ortu solis aut cum occasu mutatur frequenter, quod in Aeneide etiam saepius indicatur.*

V. A. IX, 22: — — *Et sic effatus ad undam*
Processit summoque hausit de gurgite lymphas
Multa deos orans oneravitque aethera votis.

Serv.: *Locus iste dictus secundum augurum morem, apud quos fuerat consuetudo ut si post acceptum augurium ad aquam venissent inclinati aquas haurirent exinde manibus et fusis precibus vota promitterent, ut visum perseveraret augurium, quod aquae intercessu disrumpitur, unde etiam in XII, 246 visum augurium non procedit nec sortitur exitum firmum, quia cygnus dimissus ab aquila in fluvium cecidit.* cum hoc confer Cic. de div. I, 106.

V. G. IV, 166. *Serv.: aquas hic pluvias.*

Plin. XVIII, 35. 355: *Sole occidente si ex utraque eius caelum petent (nubes) tempestatem significant; vehementius atrae ab oriente in noctem aquam minantur ab occidente in posterum diem.*

Cic. de div. I, 8, 14. p. 485, 33 sqq. ibiq. interpretes.

31) Versus, in quibus mutari litora cum ripis ripas cum litoribus ego quidem inveni aliquot adscribam, quibus apparebit litora pro ripis non tam raro, ripas pro litoribus rarissime et sero demum inveniri, apud Horatium de hac catachresi ut grammatici vocant non cogitandum. In II, 18, 22 Peerlkamp, Meineke, alii recte docuerunt ripam oram fluminis litus oram maris significare.

Non huc pertinent versus qui paludibus promiscue vel ripas vel litora tribuunt, neque ii, qui Stygi mox ut fluvio ripas, mox ut paludi litora. cf. V. A. VI, 386. 410. 414. Stat. s. II, 1, 187. Prop. V, 11, 6. O. M. VII, 231. VI, 372. Claudian. bell. Gildon. 243. bell. Getic. 319.

V. A. VII, 797: *Sacrumque Numici litus arant.*

Calpurn. IX, 21: *Quae colitis silvas Dryades quaeque antra Napaeae*
Et quae marmoreo pede Naiades uda secantes
Litora purpureos alitis per gramina flores.

Adde Sil. IV, ubi Trebiae flumini mox ripas mox litus tribuit v. 552. 571. 579. 582. 588, eo adductus quod flumen 580 paludem nominavit, cui v. 597 *aequor* tribuit, ut Pentadius Meyeri Anthol. n. 247. Tum Cic. de inv. II, 31, 97.

Stat. s. I, 3, 24: *Litus utrumque domi nec te mitissimus amnis*
Dividit: alternas servant praetoria ripas
Non externa sibi fluviumve obstare queruntur.

ib. II, 5, 28: *inter tot Scythicas Libycasque et litora Rheni*
Et Pharia de gente feras, quas perdere vile est.

In iis qui sequuntur versibus dubium est annon ora maritima et Aegypti et Colchidos intellegenda sit.

Claudian. d. laud. Stil. II, 416: *Nilique ad litora tendens*
Unicus extremo Phoenix procedit ab Euro.
Prudent. Cat hemer. V, 45: *sed rex Niliaci litoris.*
Lucan. IX, 132: *Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum*
Litore Niliaco socerum jam stare putavi.
ib. 410: *Tertia pars rerum Libye, si credere famae*
Cuncta velis, at si ventos caelumque sequaris
Pars erit Europae: nec enim plus litora Nili
Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt.
ib. X, 411: *Thessaliae subducta acies in litore Nili*
More furit patrio.

ut ipse de Niloticis ruribus (9, 129) et de Phario litore (9, 74) loquitur. cf. Pind. isthm. II, 42. De flumine certe loquitur Claudian. in Rufin.
II, 244: *Si calcare Notum secretaque litora Nili*
Nascentis jubeas mundum post terga relinquam.

Colchidos litus memorat Petronius apud Wernsdorff III, p. 31:
Iam Phasidos unda
Orbatast avibus mutoque in litore tantum
Solae desertis adspirant frondibus aurae.

In eadem dubitatione versamur apud
Sil. VI, 513: *Has inter voces, vinclis resoluta moveri*
Paulatim et ripa coepit decedere puppis.
Tunc vero infelix, mentem furiata dolore
Exclamat, fessas tendens ad litora palmas.
520: *Cetera percussi vetuerunt noscere remi.*
Tum fluvio raptim ad pelagi devolvimur oras.
V. Fl. VIII, 129: *Clamor ab Haemonio surgit grege; se quoque gaudens*
Promovet ad primas juveni ratis obvia ripas.
138: *Complentur litora bella nequiquam.*

De Propertii loco V, 5, 21 non constat, cum an fluminis cuiusdam vel urbis ad flumen quoddam sitae nomen in litteris per codices servatis lateat nesciamus, de quo legas Hertzbergium virum de Propertio meritissimum, nec Ov. M. XIV, 49 huc pertinere apparet.

Duos restare video locos, in quibus solis de ripis marinis loqui poetas inveni:

Stat. s. III, 2, 49: *donec tua turbine nullo*
Laeta Paraetoniis assignet carbasa ripis.
Claudian. epithal. Pallad. 88: *quae Sarmaticis custodia ripis*
Quae saevis objecta Getis —.

32) Non bene omisit Horatius vocem pelagi vel fluctuum vel undarum talium quae neglegentia Porphyrionem induxit ut diceret: *verbere fluctuum aut ventorum*, cum et undae et venti verberare dicuntur a poetis — Cf.

Sen. Ag. 93: *turris pluvio vapulat Austro.*
ib. 504: — — *Eurus orientem movet*
Nabataea quatiens regna et eoos sinus.
Sen. T. 594: *hic ubi ingenti modo sub procella*
Cyclades pontum timuere motae.
Plaut. Amph. 333: *hinc enim dextra mihi vox auris verberat.*
Auson. epist. 15, 28: *auresque sermo verberet.*
Sil. I, 587: *Thracius hos Boreas scopulos immitia regna*
Solus habet semperque rigens nunc litora pulsat.
Lucr. I, 265: *Principio venti vis verberat — pontum.*
ib. V, 954: *ventorum verbera vitare*, cf. Sil. XI, 487 sqq.

Eodem modo de flammarum nitore, de solis appulsu, de siderum luminisque fulgore, quin et de contumeliis et de osculatione utuntur hoc verbo poetae. O. F. I, 77. Sil. VII, 143. Claud. Phoen. 3. Plin. N. H. 2, 8. Petron. 26. 132.

Mire tamen C. Fr. Hermann in progr. (Gott. 1854) de Callia dialogo: *summa dialogi pariter ut Eupolidis Adulatorum in eo versata esse videtur, ut sophistarum qui illa minoris Calliae comitate indignis modis abuterentur, disciplina ipsa gulositatis et impudicitiae nomine vapularet.*

Verbere pro *verberibus* minus eleganter. cf. Calpurn. III, 20. O. M. III, 660. Claud. d. IV. cos. Hon. 251. bell. Gild. 220. d. rapt. Pros. III, 139. Sil. III, 348. XI, 490. Sidon. Apoll. carm. XI, 28 *asper ab assiduo lympharum verbere pumex.*

33) Quanta Bentlei in emendando Horatio sint merita neque tam impie ingratus neque tam stulte ignarus sum, ut non agnoscam, tamen negare nequeo videri mihi eum saepius ingenii sui critici quasi quodam pruritu incitatum conjecturis tentasse locos, quos mutare non necessarium esset, ut saepe pulchriores redderet versus, quos a librario depravatos esse numquam probare posset; quisnam mutasset (III. 13, 32) *densum avida bibit aure volgus* in id quod hodie legimus: *densum humeris bibit aure volgus.* Quisnam mutasset *lactea Telephi brachia* (II, 13, 2) in *cerea brachia*, tamen permulti editores Bentlei conjecturam in verba receperunt. Alia optime defendi possunt, ut pauca praetereundo tangam, ut in I, 1, 17 *rura* (B. *tuta*) optime se habent, si de praediis cogitas, cf. Cic. pro R. Am. 46, 133. In II, 16, 26 *lentum risum* (B. *laetum*). compara cum Sil. VI, 699 et ad II, 8, 24 nescio an ab aliis allati sint Liv. 21, 54. Auson. ep. 15, 27. Stat. Theb II, 86. Plaut. Aul. II, 2, 173 B. Etiam in I, 7, 27 *Teucer auspex* explicari posse confido; et quia auspex is esse mihi videtur et qui auspicia dat et cuius auspiciis obsequentes, cuius auctoritatem sequentes alii agunt, et quia hos Horatii versus imitatum esse puto Claudianum d. bell. Get. 267. b. Gildon. 499 sqq.

34) cf. V. Fl. VI, 664. Sen. O. 160. 478. 479. O. A. II, 9, 11. O. M. XII, 70 sqq. 619. Lucan. VIII, 196. Sen. H. 792.

35) Serv. ad A. VI, 197: *In impetrito augurio augures sibi ipsi regiones definiebant, in oblato manum suam respexere, laevam aut dextram.*

36) Nisi obvios laniarent ut Liv. XXI, 46. XXVII, 37. XXXII, 29.

37) Quae lex auguralis non dubito quin a certa occasione deducta sit, quam in condenda urbe Lavinio narrat Dion. Hal. ant. rom. I, 59. p. 150: λέγεται δὲ κατὰ τὸν πολιϲμὸν τοῦ Λαουινίου ϲημεῖα τοῖϲ Τρωϲὶ γενέϲθαι τοιάδε· πυρὸϲ αὐτομάτωϲ ἀναφθέντοϲ ἐκ τῆϲ νάπηϲ, λύκον μὲν κομίζοντα τῷ ϲτόματι τῆϲ ξηρᾶϲ ὕληϲ ἐπιβάλλειν ἐπὶ τὸ πῦρ· ἀετὸν δὲ προϲπετόμενον ἀναρριπίζειν τῇ κινήϲει τῶν πτερύγων τὴν φλόγα. τούτοιϲ δὲ τἀναντία μηχανωμένην ἀλώπεκα, τὴν οὐρὰν διάβροχον ἐκ τοῦ ποταμοῦ φέρουϲαν ἐπιρραπίζειν τὸ καιόμενον πῦρ· καὶ τότε μὲν τοὺϲ ἀναπτόνταϲ ἐπικρατεῖν· τότε δὲ τὴν ἀποϲβέϲαι βουλομένην. τέλοϲ δὲ νικῆϲαι τὰϲ δύο καὶ τὴν ἑτέραν οἴχεϲθαι μηδὲν ἔτι ποιεῖν δυναμένην.

38) De ravo oculorum fulgore lege nunc Hauptii verba in Herme I, p. 257.

39) Vocabulum *sinus* suspicionem non habet cum et Horatius Ionium sinum (ep. 10, 19) commemoret et Plinius (N. H. III, 1. 5. 11, 9. IV, 1, 1. 12, 75) quattuor Europae sinus enumerat, quorum alter a Lacinio promunturio finiens Acroceraunio Epiri ipsum Hadriaticum mare est; sic et in excerpto quod fertur Suetonii (apud O. Müller [Fest. ed.] p. 382, 9): *Sinus maiores recessus maris dicuntur, ut Caspius, Arabicus, Indicus;* [quae sequuntur ita ni fallor legenda:] *minores autem anguli, ut Paestanus, Matrestae (?), Amyclanus et similes*, quae maximam certe partem ducta esse Müller putat ex Verrio. cf. Charis. II, p. 185 P. p. 207, 27 K.

Adde Tac. G. 1. Agr. 23.

*De *atri* significationibus cf. Jacobs quaest. epic. p. 73 sqq.

40) cf. O. A. II, 4, 30. I, 5, 22. (III, 7, 36; 11, 14. II, 10, 25.) O. A. A. III, 301. 351. 780. Pervigil. 91. Calpurn. I, 5. O. H. II, 58. O. R. A. 508. O. T. V, 13, 5. Catull. 23, 10. Sen. O. 798. 444.

De lasciva dilogia cum Baxtero ne cogitandum quidem.

41) Contrario modo hoc oxymoro utitur Naso in Fastis (III, 644): *audacem fecerat ipse timor.*

42) Vanderbourg: *Je pense que fraudes est pris ici pour piège et désigne les écueils cachés sous la mer.*

Düntzer: *ich verstehe es von den schauergestalten, die das meer in der mitte zeigt, während es am ufer uns anlockt.*

Is qui anglice hoc carmen vertit (London 1680) — *shriekt oft*
The rocks and monsters to behold
Though she was bold.

43) Sil. I, 219. V. Fl. VI, 591. Liv. XXI, 35, 4. Sen. T. 953. Sil. VIII, 169. VII, 374. et O. T. I, 7,29. Luc. IX, 895. Quae facili negotio augeri possunt.

44) Pulcherrime haec vertit Sanadon: *Au lieu d'une riante prairie où peu auparavant elle amassait des fleurs pour en composer des guirlandes aux nymphes champêtres elle trouva le silence affreux d'une nuit solitaire où elle n'apercevait que la lueur des étoiles réfléchie par la surface mouvante des mers.*

45) Stat. Th. III, 273. 29. O. M. II, 847. VIII, 591. 507. Claudian. in Eutrop. I, 51. Meyer Anthol. 190, 13. Sil. VI, 548. O. T. I, 8, 15. O. E. II, 2, 17. III, 2, 43. 100. IV, 13, 44. III, 2, 105 al.

46) Cic. de div. I, 31, 66; 37, 80. Cic. Cat. IV, 6, 11. in Pis. 21, 49. Caes. b. g. I, 4. Cic. de har. resp. I, 2. p. dom. 55, 141. Sil. II, 324. III, 146.

47) O. F. IV, 115: *hanc* (*Venerem*) *quisquam titulo mensis spoliare secundi*
Audeat? a nobis sit procul iste furor.

cf. Cic. pro Sull. 27, 76. Catull. 48, 11.

48) Sic puto O. A. III, 11, 1 *multa diuque tuli; vitiis patientia victa est*, de uno impudicitiae vitio et quidem semel commisso queri Nasonem, cf. ib. 44. A. A. II, 641. Liv. XXII, 3, 6 *quoque pronior esset in vitia sua agitare eum atque invitare Poenus parat*, ubi sola consulis temeritas nimia significatur.

Non inepte Dacier dicit: *Europe a tant d'horreur pour ce qu'elle vient de faire qu'elle trouve tous les vices dans ce seul vice.*

49) Janius: *Ceterum nimis pretiosum ut hodie dicunt pro puellae affectu hoc de porta eburnea videri queat.*

50) Bothe: *recte si quid sentio qui reposuere „quam".*

51) O. M. XI, 587: *extincti Ceycis imagine mittat somnia.* ib. 613: *varias imitantia formas somnia vana jacent.*

Imago somni V. Fl. IV, 531. VII, 213. O. M. VII, 650. VIII, 825. IX, 686. O. F. III, 27. O. H. XVI, 45. O. M. IX, 480: *saepe licet simili redeat sub imagine somnus.* Claudian. d. VI. cos. Hon. pr. 21.
Additur ecce fides nec me mea lusit imago
Irrita nec falsum somnia misit ebur.

O. R. A. 575: *placitum pueriles imago*
Destituit somnum: si modo somnus erat.

O. M. XV, 25 et 664: *Post ea decedunt pariter somnusque Deusque.*

Sil. VIII, 641: *Ludificante etiam terroris imagine somnos.*

O. E. I, 2, 47: *aut ubi decipior melioris imagine somni.*

St. Th. V, 135: — — *nec imago quietis*
Vana meae: nudo stabat Venus ense, videri
Clara mihi somnosque super.

add. V. A. III, 173. O. E. III, 3, 4. O. Ib. 155. O. F. V, 477: *ut secum fugiens somnos abduxit imago.*

Ex his versibus atque rei ipsius natura facile intellegis, a somno adduci posse somnia, quia qui somniat dormiat necesse est, somniumque ipsum esse imaginem neque conspici posse ab hominibus in quiete nisi tamquam imaginem, unde quae in versibus nostris leguntur absurda esse patet,

52) Janius: *At quomodo Europae melius visum ire per mare cum hoc nec praevidisset, nec sponte fecisset? Sed in hoc non nimis argutandum.*

Dacier: *Europe ne cherche qu'à se confirmer dans la pensée qu'elle a que tout ce qui lui est arrivé n'est qu'un songe: c'est pourquoi elle dit: Y a-t-il de l'apparence que j'aie mieux aimé me hasarder à traverser tous ces flots.*

53) O. T. III, 4, 53 et 73. O. F. V, 660: *ut repetant Graios per freta longa domos.*

54) Voss: *der ruchlos schaltende stier!*

Ritter: *infamem, qui infamiae causa mihi extitit; activa vocabuli vis poetici sermonis est!*

Orelli: *detestandum propter hoc ipsum quod pudorem mihi ertepturus est!*

55) Sen. H. 76: *(Herculem) manibus ipsis dilacera tuis.*

S. O. 641: *enthea gnatos manu lacerate potius.*

Ter. Eun. 647:*Pythius: Qui nunc si detur mihi venefico*
Ut ego unguibus facile illi in oculos involem.

V. Fl. VIII, 150: *(Medeae mater) Vellem unguibus uncis ire*
Ut volucris possem praedonis in ipsius ora.

Plut. Sol. 12: Λέγεται δὲ τὴν Μουνυχίαν ἰδὼν ὁ Ἐπιμενίδης καὶ καταμαθὼν πολὺν χρόνον εἰπεῖν πρὸς τοὺς παρόντας, ὡς τυφλόν ἐστι τοῦ μέλλοντος ἄνθρωπος· ἐκφαγεῖν γὰρ ἂν Ἀθηναίους τοῖς αὑτῶν ὀδοῦσιν, εἰ προῄδεσαν, ὅσα τὴν πόλιν ἀνιάσει τὸ χωρίον. cf. Coraes ad Hippocrat. de aëre et locis p. XXIII. Recte igitur qui anglice vertit hoc carmen (London 1680):

Had I that naughty bull now here
How with my nails I would him tear
And break the horns about that pate
So loved of late.

56) O. F. III, 499. Sen. Ag. 278. Sen. Ph. 149. O. T. V, 8, 23.

57) O. A. I, 2, 38: *haec tibi si demas commoda nudus eris.*

O. A. II, 9, 34: *fige puer. positis nudus tibi praebeor armis.*

O. A. A. III, 5 (cf. 46): *non erat armatis aequum concurrere nudas.*

O. T. I, 6, 8: *tu facis ut spolium ne sim neu nuder ab illis*
Naufragii tabulas qui petiere mei.

Liv. XXI, 8, 12. 32, 2. Sen. O. frg. 69. O. A. I, 3, 14. O. A. A. III, 201. 747. II, 89. I, 530. O. R. A. 25. O. F. III, 701. O. M. XIII, 159. Sen. P. 518. Hor. I, 24, 7. V. E. I, 60. Liv. XXI, 36, 6. 37, 4. XXII, 18, 6. Lucan. VIII, 433. Adde quae Forcellini collegit et Pervigil. Ven. 35 cum 37 et 56.

58) Dacier: *avant qu'une maigreur hideuse vienne s'emparer de mes joues, avant que mon enbonpoint s'en aille et que je perde ma beauté.*

Adn.: *C'est proprement l'enbonpoint.* Térence (Eun. 118): *corpus solidum, succi plenum. des chaires fermes, pleines de suc.*

Sanadon: *on engraissait les victimes et on les parait avant que de les immoler. Europe se regarde comme une victime en état d'être conduite au sacrifice.*

Vanderbourg: *Avant que sur mon teint la rose disparaisse*
Avant que la maigreur deshonore mes traits
Digne de plaire encore, souffrez que je repaisse
Les tigres des forêts.

Gehlen: *Eh noch missgestaltige dürrsucht einnimmt*
Diese blüthenwang und der zarten beute
Jugendsaft wegdorrt.

59) Ztschr. f. d. österr. Gymn. 1860. XI. 7. p. 482.

60) O. T. II, 455. O. M. VII, 290. O. A. III, 6, 55. O. H. III, 141. XI, 27. O. A. A. II, 556. Apud Sall. Jug. I, 4 ex codicibus nunc legitur *diffluere*. Forcellini defluendi exempla huic loco dissimillima sunt.

61) O. H. XVII, 165: *sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.*

O. F. II, 767: *Carpitur attonitos absentis imagine sensus*
Ille; recordanti plura magisque placent.

V. Fl. VIII, 1: *At trepidam in thalamis et jam sua facta paventem*
Colchida circa omnes pariter furiaeque minaeque
Patris habent.

V. Fl. VII, 307: *contra saevus amor, contra periturus Iason*
Urguet et auditae crescunt in pectore voces.

cf. V. A. IV, 384. Sil. I, 631. Cic. p. dom. 55, 141.

62) O. H. III, 41. O. T. V, 6, 21. 4, 45. I, 8, 15. Sen. I, 1000. S. O. 534. 454. S. Tr. 81. Ag. 232. O. A. I, 11, 28. A. A. I, 769. II, 29. O. F. III, 726. V, 320. O. E. II, 8, 18. III, 9, 46. O. Ib. 453. Petron. 83; 129, 29. Catull. 70, 5. Liv. XXI, 60, 8. 22, 59, 1. 24, 5, 13. 22, 60, 14. alia multa.

63) O. M. XII, 141: *vincla trahit galeae, quae presso subdita mento*
Elidunt fauces et respiramen iterque
Eripiunt animae.

Sil. III, 33: *nexuque elisa leonis Ora.*

ib. IV, 242: *Elisa incussis amisit calcibus ora.*

O. M. XII, 507: *saxa trabesque super totosque involvite montes*
Vivacemque animam missis elidite silvis.

cf. Claud. in Ruf. II, 433 — *elidere* nostrum est zerdrücken, zer- und herausquetschen.

cf. Claud. in Ruf. II, 222. O. H. XII, 121. O. M. I, 466. VI, 695. XIV, 196. XV, 338. O. E. IV, 9, 21. O. F. IV, 371. Sen. A. 516.

64) S. O. frg. 148: *et artis colla laqueis inseri.*

O. R. A. 17: *cur aliquis, collum laqueo nodatus ab arto,*
E trabe sublimi triste pependit onus?

O. E. I, 6, 39: *haec dea quam multos laqueo sua colla ligantes*
Non est proposita passa perire nece (de Spe).

O. Ib. 549: *utve Syracosio praestricta fauce poetae*
Sic animae laqueo sit via clausa tuae.

Prud. encheir. 39, 3: *Judas eminus artat*
Infelix collum laqueo pro crimine tanto.
Petron. 94: *cervices nodo condebam.*
O. H. IX, 98: *praegrave compressa fauce pependit onus.*
O. M. VII, 604: *pars animam laqueo claudunt.*
O. M. X, 378: *laqueoque innectere fauces.*
O. H. II, 142: *colla — laqueis implicuisse.* al.

Cic. Verr. 2, 4, 17 *collum inserere in laqueum.* Sall. Cat. 58 *laqueo gulam frangere.* Hor. ep. I, 16, 37 *laqueo collum pressisse contendat.* s. II, 3, 131 *laqueo uxorem interimis.* Cic. pro Scauro II, 10 p. 957 *negotium dedisse liberto ut illi aniculae non ille quidem vim afferret — sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret ut illa perisse suspendio putaretur.* Cic. pro Cluent. 31, 84 *cum faucibus premeretur,* als es ihm an den kragen ging.

65) O. M. I, 473: *laesit Apollineas trajecta per ossa medullas.*
O. M. XII, 131: *cernit et in duro laedi quoque corpore ferrum.*
O. T. I, 1, 85: *Et mea cumba semel vasta percussa procella*
Illum quo laesa est horret adire locum.
O. Ib. 526: *causa sit exitii dextera laesa tui.*
O. F. IV, 120: *cum gemuit teneram cuspide laesa manum.*
Meyer Anth. 559, 32: *ne palmas duro nodus modo vulnere laedat.*
ib. 376: *ne brevis ignaro vipera laesa pede.*

Petron. 54: *ipse Trimalchio cum graviter ingemuisset superque bracchium tamquam laesum incubuisset.* Pervigil. 33.

adde O. A. III, 2, 22. A. A. II, 698. III, 207. 704. O. R. A. III, 159. 236. 293. O. M. I, 508. 547. II, 408. XII, 172. 421. XIII, 925. O. F. IV, 101. Lucr. III, 148. multa alia, quibus addas quae Forcellini congessit. Cic. Brut. 4, 16. Jacobs quaest. epic. p. 107: *laedere. Jantus ad h. l. doctius atque audacius collocatum censet; comparemus Soph. Ant.* 54: πλεκταῖcιν ἀρταναῖcιν λωβᾶται βίον. Porro vid. Statium silv. I, 2, 151 *Pendent innumeris fastigia nixa columbis.*

67) Huc non pertinent Cat. 59, 82 *A|runculeia*, ut in nomine proprio quod alio modo in versum recipi non potuit. Neque quem versum L. Müller (N. Jahrb. 89. 490) ex poeta graeco comico attulit qui alterum trimetrum iambicum syllaba προ | finivit alterum voce βούλευμα incepit. Horatii versum *uxorius amnis* si ullum versum rectissime ejiciendum censuerunt Guyet, Peerlkamp, Gruppe, Martin (Posen 1865), Franke (Weilburg 1866), O. Jahn in scholis suis, Lehrs (rh. mus. XXII, p. 403).

68) An de talibus versibus cogitandum:

Sen. Ph. frg. 58 *quis me procellae turbine insano vehens*
Volucer per auras ventus aetherias aget.
ib. 62 *aut quae per altas aeris rapiet vias*
Harpyia.
Sen. T. 636 *ferte me insanae procul*

Illo procellae ferte quo fertur dies
Hinc raptus. cf. Soph. O. C. 1660 ibiq. Schneidewin.

69) Döring: *schalkhaft lachend.* Dacier: *avec un souris malin.* Sanadon: *avec un ris malin.* Ritter: *schelmisch.* Mirum quod adjicit v. cl. *perfidum pertinet ad ficta verba quibus puellam lusit.* Et hic primus offendit. Nauck: *schelmisch.* Voss: *falsch anlächelnd.* Acron: *perfidum dolosum.*

70) Dacier: *enfin après que cette déesse se fut divertie assez longtemps.*
Sanadon: *Quand ils eurent goûté suffisamment ce cruel plaisir.*
Voss: *Satt der spottred endlich.*
Düntzer: *Nachdem Venus sie genug zum besten gehabt.*
Nauck: *weidlich gespottet.*
Orelli: *ubi Venus satis irriserat puellam splendidae suae sortis ignaram.*

71) Cui respondit Dacier: *Cette conjecture est si étrange qu'elle me venge assez du refus qu'il fait de reconnaître la finesse que je fais remarquer dans ce vers et qui est fondé sur ce qu'Horace vient de dire de Vénus perfidum ridens, rien ne marque mieux ce ris malin que cette ironie.*
Klotz mutavit: *dum tibi.* Jones: *num tibi.*
Quod Bentley *invisus* mutat in *injussus* nullam video causam.

72) Cic. de div. I, 102. de leg. II, 12, 29. Liv. V, 13. 38. 51. Fest. fragm. p. 249, 20.

73) adde O. A. A. I, 87: *Hunc Venus e templis quae sunt confinia ridet.*
Sil. VII, 465: *postrema nitenti*
Affulsit vultu ridens Venus. cf. O. F. III, 694.

74) Pauly, Ztschr. f. östr. Gymn. 1857. VIII p. 594. Zangemeister, de vocibus singularibus Hor. Berl. 1862.

75) Rob. Joachim, de elocutione Taciti part. I. Görlitz 1862. A. Rothmaler, de Horatio verborum inventore. Berlin 1862.

76) Nomina pro nomine O. M. XIV, 396. 614. 621. XV, 755. O. F. III, 2. 246. IV, 70. 160. 474. V, 1. 205. VI, 35. 40. 578. Sil. III, 420. cf. O. F. III, 733. IV, 284. VI, 803. Cic. d. n. d. II, 24, 61. Acad. 1, 11. Phil. 4, 2. de div. I, 1, 16. II, 27, 67. 68.

VITA.

Natus sum Georgius Theodorus Schaefer Bremae a. d. III Kal. Jul. anno h. s. XLV Guilelmo et Sophia e gente Brandes parentibus. Fidem profiteor evangelicam. Post pueritiae disciplinas per decem annos frequentavi primum progymnasium quod vocatur tum gymnasium quod florebat tum Gravenhorstio directore, praeter quem et Torstrik et Tappenbeck pio gratoque animo mihi colendi sunt, quorum potissimum disciplina factum est, ut in me nasceretur litterarum antiquarum amor, quibus ut operam darem verno tempore a. LXIV maturitatis testimonio instructus Gottingam me contuli, ubi per tres annos Leutsch Sauppe Curtius Wieseler Benfey philologos, Ritter Lotze Stein Peip philosophos, Waitz Vischer Abel Wüstenfeld historicos docentes audivi exercitationibusque interfui proseminarii per sex menses, seminarii philologici per quinquies sex menses quibus praeerant Leutsch Sauppe Curtius, nec non Teichmüller per ter sex menses in societatem Aristotelicam quam moderabatur benigne me excepit, quibus viris cum omnibus gratias ago quam maximas tum Leutschium sempiterna recordatione pioque animo colam.

Academia Georgia Augusta initio a. LXVII relicta hanc adii Fridericiam Guilelmiam Rhenanam litterarum universitatem, ubi Jahnii Schaeferi Bernaysii Sybelii scholas frequentavi, singulari Useneri et Jahnii benignitate in seminarii philologici sodalium ordinariorum numerum receptus sum, Bernays societati suae Aristotelicae me adscripsit, quibus omnibus optime de me meritis gratias debitas perpetuo servabo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Aristotelis περὶ ψυχῆς libri III initium sic scribendum est ac distinguendum:

"Οτι δ' οὐκ ἔστιν αἴcθηcιc ἑτέρα παρὰ τὰc πέντε (λέγω δὲ ταύταc p.424b22
ὄψιν ἀκοὴν ὄcφρηcιν γεῦcιν ἁφὴν) ἐκ τῶνδε πιcτεύcειεν ἄν τιc. εἰ γὰρ παντὸc, οὗ [οὐκ] ἐcτιν αἴcθηcιc ἁφῆ, καὶ νῦν αἴcθηcιν ἔχομεν (πάντα γὰρ τὰ τοῦ ἁπτοῦ ᾗ ἁπτὸν πάθη τῇ ἁφῇ ἡμῖν αἰcθητά ἐcτιν), [......] ἀνάγκη τ', εἴπερ ἐκλείπει τιc αἴcθηcιc, καὶ αἰcθητήριόν τι ἡμῖν ἐκλείπειν· καὶ ὅcων μὲν αὐτῶν ἁπτόμενοι αἰcθανόμεθα, τῇ ἁφῇ αἰcθητά ἐcτιν, ἣν τυγχάνομεν ἔχοντεc· ὅcα δὲ διὰ τῶν μεταξὺ καὶ μὴ αὐτῶν ἁπτόμενοι, τοῖc ἁπλοῖc, λέγω δ' οἷον ἀέρι καὶ ὕδατι· (ἔχει δ' οὕτωc ὥcτ' εἰ μὲν δι' ἑνὸc πλείω αἰcθητὰ ἕτερα ὄντα ἀλλήλων τῷ γένει (οἷον εἰ ἐξ ἀέροc ἐcτὶ τὸ αἰcθητήριον καὶ ἔcτιν ὁ ἀὴρ καὶ ψόφου καὶ χρόαc), ἀνάγκη τὸν ἔχοντα τὸ τοιοῦτον αἰcθητήριον ἀμφοῖν αἰcθητικὸν εἶναι. *Ut igitur aër in audiendo, videndo, olfaciendo, ut aqua in videndo, audiendo, gustando.*
Εἰ δὲ πλείω τοῦ αὐτοῦ (οἷον χρόαc καὶ ἀὴρ καὶ ὕδωρ, ἄμφω γὰρ δια- p.425a
φανῆ), καὶ ὁ τὸ ἕτερον αὐτῶν ἔχων μόνον αἰcθήcεται τοῦ δι' ἀμφοῖν. *In hoc igitur exemplo oculus altero medio (sc. aqua) praeditus, videbit colores per duo media ad nos pervenientes; eodem modo aures, quamquam alterum tantum medium possident, percipient sonum, qui et per aërem et per aquam advenit.*) τῶν δ' ἁπλῶν ἐκ δύο τούτων αἰcθητήρια *(empfindungsmittel; nicht: sinnesorgan)* μόνον ἐcτὶν, ἐξ ἀέροc καὶ ὕδατοc· (ἡ μὲν γὰρ κόρη ὕδατοc ἡ δ' ἀκοὴ ἀέροc, ἡ δ' ὄcφρη-[cιc καὶ ἡ γεῦ-]cιc θατέρου τούτων (*addito tactu*)· τὸ δὲ πῦρ ἢ οὐθενὸc ἢ κοινὸν πάντων· οὐθὲν γὰρ ἄνευ θερμότητοc αἰcθητικόν· γῆ δὲ ἢ οὐθενὸc ἢ ἐν τῇ ἁφῇ μάλιcτα μέμικται ἰδίωc· διὸ λείποιτ' ἂν μηθὲν εἶναι αἰcθητήριον ἔξω ὕδατοc καὶ ἀέροc.) ταῦτα δὲ *(sc. sensoria, quae ad percipienda* τὰ πάθη *et per aërem et per aquam apta sunt)* καὶ νῦν ἔχουcι [πάντα τὰ] ζῷα· πᾶcαι ἄρα αἱ αἰcθήcειc ἔχονται ὑπὸ τῶν μὴ ἀτελῶν μηδὲ πεπηρωμένων· φαίνεται γὰρ καὶ ἡ ἀcπάλαξ (*spalax typhlus Pall[asii] sive mus typhlus s. spalax microphthalmus*) ὑπὸ τὸ δέρμα ἔχουcα ὀφθαλμούc· ὥcτ' εἰ μή τι ἕτερόν ἐcτι cῶμα καὶ πάθοc ὃ μηθενόc ἐcτι τῶν ἐνταῦθα cωμάτων οὐδεμία ἂν ἐκλείποι αἴcθηcιc.

Demonstratio autem sic procedit:

Si quidem omnes qualitates (πάθη), quas non tangendo percipimus, sentimus, eae per media quaedam nobiscum communicentur eademque media ut sensoria (empfindungsmittel) habeamus necesse est et patet, si qualitatis cuiusdam perceptio nobis deest, deesse nobis sensum. Perveniunt autem ad nos omnes qualitates et tangendo et per aërem et per aquam et habemus in sensibus nostris facultatem tangendi et sensoria duo illa, aërem et aquam, omnes igitur qualitates percipimus, nullus ergo nobis deest sensus.

II.

Soph. El. v. 1443, ejecto versu qui sequitur ut glossemate ex v. 730 orto, sic scribendus est:

οὖς φας' 'Ορέςτην ἡμὶν ἀγγεῖλαι νεκρόν.

III.

Soph. Antig. v. 1160: καὶ μάντις οὐδεὶς τῶν καθεςτώτων βροτοῖς spurius judicandus est.

IV.

Cic. de div. I, 9, 15 scribendum est: *Sed inest in avibus et ranunculis natura quaedam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior* [H' V': in re vis et ranunculis].

V.

Liv. XXXXI, 12, 10: *Claudius duarum gentium uno anno victor duabusque quod raro alius in consulatu pacatis provinciis Romam revertit* [C: duabusquodraroaliusinconsulatupaccatisqueprovinciis].

VI.

Liv. XXXXI, 20, 7: *Rhodìs nihil unum insigne set omnis generis, ut quaeque usus eorum postulaverunt, dona dedit* [C: rodisnihilunuminsigneutomnisgeneris].

VII.

In trimetro iambico τὰ cημεῖα sic distribuenda sunt:

⏓ ″– ⏑ –   ⏓ ‴– ⏑ – ⏓ ́– ⏑ –

ἄρcιc   βάcιc

VIII.

In versibus sapphicis minoribus, qui post quintam syllabam caesuram habent, vocabulorum ictus semper cadit in primam et quartam syllabam apud Horatium eosque poetas qui eum sequuntur, ut apud Statium Ausonium Prudentium Boethium Apollinarem Sidonium Sedulium Phocam et per totum medium aevum. Hac lege interpretandum quod

alii ab Horatio in his versibus observatum invenerunt: *si quinta syllaba est vocabulum monosyllabum necesse est quarta quoque sit monosyllabum,* quam legem manifesto ceteri quoque poetae observant. Neque tamen quidquam inde concludi potest de accentu vocabulorum: *Mercuri Pompili Tarquini Septimi* (Hor. I, 10, 1. 12, 34. 35. II, 6, 1. III, 11, 1.)

IX.

Cum multis aliis causis tum hac ipsa lege refutatur Gottholdi *de numero Sapphici versus apud Horatium* opinio (Mützell Z. f. G. IX, 706), qui versum sic distingui jubet: – ⏑ ⌊ | – – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑. [Distinguendus autem est, quamquam non quidem apud Romanos, ″ ⏑ – ⏑   ‴ ⏑ ⏑ – ⏑ ́ ⌊]

ἄρcιc   βάcιc

X.

Nomen illud societatis poetarum Gottingensis *Hainbund* ante annum 1830 scriptum non invenitur; socii hoc nomine non utebantur.
